






1. Bock f. Friderici Samuelis / diff. De Notione  
Immensitatis Dei amplificanda Co-  
templatione magnitudinis Mundi.  
Regionent 1766. Autor G. C. Reuter.
2. Bode f. Christophorus Augustus / protevan-  
gelium Geneser Cap: 111 Vers: XV. Helm-  
stadt 1763.
3. Bochmer f. D. philip Adolph: / programma, de  
Christo filio Boninii, Halle 1763.
4. ——— programma, addita est illustratio  
addita est illustratio loci 1 Corinti 24; vers. 51,  
Halle 1766.
5. ——— programma in Commentationem ad  
illustrativum Actuum Apostolorum, 1766.
6. Büchner f. D. Andreæ Elie: / programma in  
diem natalem Christi, Halle 1768.
7. Carrack f. Ioh: Tob: / programma paracleti  
Appellatione Spiritui Sancto tributa,  
Halle 1769.

DE  
**ORTHODOXIA**  
**CVM DOGMATICA, TVM ETHICA**  
 IVSTE INVICEM CONIVNGENDA  
 DISSERTATIO IN AVGVRALIS THEOLOGICA  
 QVAM  
 AVSPICIIS DIVINIS  
 ATQVE  
 CONSENSV S. VEN. ORDINIS THEOLOGICI  
 PRO  
**SVMMIS IN THEOL. HONORIBVS**  
 RITE IMPETRANDIS  
 A. D. XIV. SEPT. A. O. R. S. CLOCCCLXVI.  
 PVBLICO ERVDITORVM VIRORVM EXAMINI  
 PROPONIT  
**M. IOANNES PETRVS MILLER**  
 S. S. THEOLOGIAE IN REGIA GOETTINGENSI ACADEMIA  
 P. P. O. DESIGNATVS




---

HALLAE MAGDEBURGICAE  
 FORMIS SVIS EXSCRIPTIS IOAN. IVST. GEBÄVER.

26  
ORTHOODOXA  
CVM DOGMATICA TAME ET HIC  
IASTE INVICEM CONVENIENTIA  
DISSESTITATIO INVAIGARATIS THEOLOGICO  
CONSENSU ET AVEQ. ORPINS THEOLOGICI  
SUMMIS IN THEOL. HONORIBVS

PARTE TRINITATIS  
M. IOANNES PETRIUS HELLER  
THEODORI IN LIBRARIIS ET LIBRARIIS  
ACADEMIA  
ANNO DILEXIT

HANNS MPPGUNHICAG  
LXXXII A.D. EXCELSIOR. 1742. GEDABAER

VIRIS  
SVMME VENERABILIBVS  
EXCELLENTISSIMIS ATQVE CELEBERRIMIS  
DECANO MAXIME SPECTABILI

D. CHRIST. GVILIEL. FRANC.  
WALCH,

D. PAVLLO IAC. FOERTSCH,

DVCATVS GOETING. SVPERINT. ET PASIORI AD AEDEM  
S. IOANNIS

D. GOTTHILF TRAVGOTT  
ZACHARIAE,

D. GOTTFRIED LESS

IN AEDe ACAD. VERBI DIV. PR. ECONI

S. S. THEOLOGIAE IN ILLVSTRI VNIVERSITATE  
GOETTINGENSI PROFESSORIBVS MERITISSIMIS  
FAVTORIBVS AC COLLEGIS SVIS LONGE  
AESTVMATISSIMIS

PUBLICVM HOC  
VENERATIONIS, OBSERVANTIAE AC AMORIS  
INTEGERRIMI PIGNVS  
INTER ARDENTISSIMA

PRO STICHTHEIT

OPTIMORVM VIRORVM  
OMNIMODA SALVTE

REVERENTER

D. D. D.

D. GOTTHILF TRAGOETT  
ZACHARIAE

D. GOTTFRIED LESS

IN VIDE CYCLO A ZEIT DIR IN CONI

2. THEOLOGIE IN UNIVERSITATI UNIVERSITATE  
CORINTHENSIS AVCTOR S MERTERIUS

TAM CARIS NOMINIBVS ADDICTISSIMVS

IO. PET. MILLER.



## PRAEFATIO.



Universa Servatoris nostri sanctissimi sapientia duabus omnino partibus absolvitur; quarum *una*, quomodo de DEO rebusque divinis pie et recte sit sentiendum definit; *altera* mentem nostram, ista divina doctrina illustratam et emendatam, ad omnem pietatem colendam informat, totamque vitae actionem optimis institutis moderatur: quemadmodum is ipse praepotens rerum universitatis dominus fiderum motus cunctamque rerum naturam aeterna et stabili lege gubernat. Et de illis quidem *Dogmatica* prior, *Ethica* posterior nuncupatur. Harum autem neutram sine altera salvam esse, facile cuivis patet rem curatius perpendenti; qualis vero ipsa utriusque ad se invicem ratio et *isovaria* sit et quam arcta constansque connexio, id scilicet non omnes omni tempore perpendisse videntur. Quod enim si fecissent, numquam vel doctrinae evangelicae a pietate, vel vicissim huic ab illius diligentiore cultu quidquam mali metuissent, sed in utraque potius quanto maximo studio limanda exornandaque elaboravissent. Sed cavit divina providentia, ne tantum umquam inter ecclesiae nostrae doctores exsisteret dissidium, quantum quidem inter Scholasticos atque Mysticos Romani coetus exstitisse novimus; effectique providentissimum IESV CHRISTI, Regis suae ecclesiae, numen, ut, quidquid dissensionis ea de re natum fuerit, id ad provehenda cum doctrinae salutaris, tum pietatis studia et inter nos acuenda singulis aetatibus, mirabili mo-

do faceret. Neque enim defutura mihi essent, si res tam clara exempla postularet, illustria nomina eorum virorum, qui cum ingenii magno acumine et doctrinae omnis admirabili copia de re divina praeciperent et disputarent, dubitare tamen nos cogunt, ingeniente magis magnitudinem, an animi pietatem, casto et elato christiana religionis sensu nixam, et in utraque fortuna constantem sibi altitudinem, admirari debeamus. Quae dum cogito, versantur ob oculos carae et sanctae MOSHEMII et BAVMGARTENII imagines, quas, ut spirantes adhuc adspicere, etiam post sindona, quod ajunt, divino beneficio contigisse mihi, laetor semperque laetabor: ita nihil vereor profiteri in hac tabula, multum me tantorum hominum consuetudinem et usum in excitandis alendisque honestissimis studiis, ut de SPE NERO et aemulo ejus FRANKIO, nihil dicam, adjuvisse. Quod ideo verecunde prae me fero, ut, quos possim, juvenes rei divinae in primis operantes, excitem, quo quae jam quidem ecclesiae evangelicae, tam difficulti laborantis religionis tempore divinitus concessa sunt lumina, Ioannis instar, Christi olim stratoris, καιομενα και θεωρητα, eorum vero luce ita perfrruantur, ut quam amico foedere veritatis pietatisque studia in veri nominis Theologo copulata sint, non perspiciant magis, quam ipsi beata et docta imitatione maximo suo et Christianorum commodo experiantur. Verum nescio, quo me ipsa haec tam suavis cogitatio rapiat, cui indulgerem fortassis paullulum, in tam jucundum locum delatus, nisi de compendio querendo moneret insignis, qua premor, temporis angustia. Evocatus enim POTENTISSIMI REGIS M. BRIT. et SEREN. PRINCIPIS ELECTORIS BRUNSV. LUNEB. auctoritate praeter omnem meam exspectationem, (Berolinum enim abitum meditabar) ad docendam in Goettingensi litterarum universitate, Theologiam: faciendam putavi, ut, quo fructu operam in colenda Theologia, DEO bene adjuvante, huc usque collocaverim, edendo in lucem aliquo specimine significarem

rem ejusque rei a VEN. ORDINE THEOLOGORVM publicum testimonium obtinerem. Quem quidem honorem quum more majorum modeste ambirem, haud diu anquiren-dum erat, qua in re mea potissimum meditatio versaretur. Recens enim ab eo labore, quem perficiendo operi Moshe-miano aliquot per annos pro ingenii mediocritate impendi, sponte mea in eam quaestione incidebam, quae possit ita referri ad eum librum, ut praestaret, quibus libet monumen-to tam cari ingenii uti, ducis, vel ut trito magis vocabulo utar, *introductionis* utilitatem. Accidit vero mihi delectum mihi locum persequenti, quod scio multis evenire, ut ad alia vicina loca ipso orationis cursu fuerim delatus. Quem-admodum vero in his diu multumque, ob festinationem, haer-ere non potui: ita hoc in primis doleo, non licuisse mihi per tempus, eos omnes percurrere libros, imo vero vel praeci-puos tantum, e quibus potuisse plus lucis ex historia dog-matum rebus ipsis, breviter a me tantummodo strictimque per traetatis, affundi. Consului igitur eos tantum, qui in mea supellecili ad manus erant, libellos; facturus fortasse commodiore tempore, quod jam quidem cupiebam, praesta-re non poteram.

Quod ad rem ipsam pertinet, spero, qui in explicandis sententiis perspicuitatem et simplicitatem, aut veritatis cae-lestis amorem ac reverentiam desideret, futurum omnino esse neminem. Eam enim illa religione colo, ut nemini bono in tam sacrosancto officio cedere velim. Quo vero castissimo studio incitatus, si quis DEI, sibi praesensis, reverenter conscius de re divina scribat, fieri non potest, quin inter dum ea profiteatur, quae possint illis, qui se se totos ignavo obsequio, humanis auctoritatibus emancipaverunt, vulgari a dogmate aliena et abhorrentia videri. Hi tamen si perpendere secum velint, non tam memoriae, in recitandis diu re-cepitis opinionibus felicis, quam potius ingenii, judicii stu-diique in tractando optimo genere litterarum, id est, sacrarum, pie et religiose exhibiti, hujusmodi scriptio specimen esse eden-

edendum; elaborandumque esse praeterea cuicunque, ut res theologiae, progressiones aliarum litterarum humanarum, quo sunt illae his excellentiores, ita maxime aequent: non modo non damnabunt, verum potius laudabunt honestos cujusque pro virili sua parte conatus. Quodsi enim una inter omnes disciplinas, Theologia decretis majorum niti deberet, nihil caussae video, cur aut S. scripturae, aut reliquae eruditioni ullam operam navemus. Sed viderint hi, qui a nobis hac in re dissentiant, an non hoc sit deesse religioni per ignaviam, in quam qui inquirunt, minime vereri debent, ne lux illi officiat: Absit! opinionum commenta dies delet, veritatis judicia confirmat. Quare nec modus debet esse nobis investigandi veri, nisi inveneris et quaerendi defatigatio turpis est, cum id, quod quaeritur, sit pulcherimum (c. 1. de fin. b. & m. I. 1) Neque enim verendum est, ut, si quid secus, quam vellent plerique, dictum sit, id populo christiano, cui consulere quam optime semper, nocere numquam debemus, offensioni esse queat, cum haec ipsa, quae eruditorum examen desiderant, non alia, quam latina lingua tractari oportet. Quod ac academicis libellis majori jure adhuc dici potest, quoniam publice illorum sententiae impugnatur disputando, atque ita excutiuntur, ut, quae temere fortassis scripta sunt, autores eauxim, quotquot veri amantes sunt, mox, si minus in charta, in animo saltim deleturos esse, non sit dubitandum. Mihi saltim una veritas cordi est, quae quantulacunque saepius videatur, habet tamen mirificos ad accendendam fovendamque puram castamque pietatem christianam igniculos. Faxit modo DEVS per CHRISTVM, dominum nostrum, ut et hac mea opella illi haud mediocriter consultum eatur.

Quod quidem consilium meum ne temeritate aut invidia vanum reddatur, aut ecclesiae citra meam culpam, hac inscriptione novum periculum rixandi ohiciatur, DEUM, quem etiam scribens & meditans aliquid, mihi praesentem veneror, testor, me ea, quae de Orthodoxia disputationi, pio et in Deum et in sanctissimam religionem, quam toto pectore amo et in qua pono omnem meam aeternae felicitatis spem, animo scripsisse et in homines, fratres meos, sincero amore, citra cujusque vel studium vel invidiam. Et, qui me norint, in nullam simulationis suspicione haec vocaturos esse confido.

SUMMA

A

# SUMMA DISSERTATIONIS.

## CAP. I.

### de Theologia & orthodoxia in genere.

Dei filius perfectissimam rerum divinarum sapientiam tradidit § 1. 2.

S. S. repetit et comprobat Theologianat. § 3.

Quoniam hujus finis est, instruere homines ad conspirandum cum finibus Dei § 4. Homo autem corruptus id jam praestare nequeat § 5. Una religio christiana homini, ut nunc est, accommodata censeri debet § 6.

Iam, cum Rel. chr. fola ex S. S. derivanda est, in hanc etiam omnia nostra studia conferre debemus § 7.

Necessitatem tamen erat, ut ejus doctrinæ in unum systema colligerentur. Hinc nata est *Theologia* § 8. Cujus declarantur α) finis & necessitas hypothetica § 9. item β) Diferentia a *Christianismo*, et inde infertur, I) quæ sint Theologiae propria, ea ignorari citra salutis periculum a vulgo Christianorum posse et esse quaestiones theologicas latine tractandas § 10. 11. Theologiam vero ipsam II) esse temporum rationibus accommodandam § 12. quod confirmatur & de doctrinis quibusdam ipsis § 13 et de Methodo tractationis § 14. 15.

Theologia ipsa proprie tantummodo in *dogmaticam* & *moralem* dividitur §. 16. 17. Rectissimeque utraque separatis jam docetur, quamquam arctissima multorum capitum sit cognatio § 18.

## CAP. II.

### de orthodoxia Theologie moralis.

Theologia moralis recens exculta melius § 35. definitur § 36. et termini quidam generales explicantur, ut: *moralis*, § 37. *spontaneum*, *actio*, *morum* § 38. *Bonum*, illudque theologie et quidem christiane; item *fancitatis*,

A 5

Definitur, quid sit Orthodoxia, Heretodoxia et Haeresis § 21. 22. Utique versatur tantummodo circa fidem objectivam § 23. & locum habet vel in Christianismo, vel in Theologia § 24. Quae divisio nostra vindicatur § 25. et quidam differunt inter Orthodoxiam *internam*, *externam* & *interne-externam*, declaratur § 26.

Orthodoxia fons est *Analogia fidei*, hujus vero una *analogia S. Scripturae*, sed non vice versa § 27.

Ut vero non debet a singulis Christianis postulari *theologica* orthodoxia § 28. ita *interna* nulli potest imperari, propter moralem ipsius indolem § 29. propterea, quod ea, quae vera nobis videantur orthodoxia, aliis *opinata* tantummodo habeatur § 30. Quare et ipsius theologicæ orthodoxiae severitas ad summum tantummodo religionis chr. capita est restringenda § 31. Theologis major libertas in reliquis partibus relinqua; coercenda tamen doctrina coram coetu promiscuo, legibus symbolicae orthodoxiae § 32. Laudandum potius est orthodoxiae studium, quam imperium possidenda § 33. Επιειργον, quomodo in pugna internæ cum externa orthodoxia, consulendum sit animi tranquillitati § 34.

tam *interna*, quam *externa* § 39. Additur explicatio *graduum libertatis* & *bonitatis* in actione quipiam § 40. item de fine sanctitatis & Theologie moralis § 41.

Definitione orthodoxiae ethicae præmissa,

missa, ostenditur, quaedam esse illi cum  
aliis in docendo virtutibus communia  
§ 42; hoc vero proprium, artissimum  
cum *Theol. dogmatica conubium* § 43.

Id quod ostenditur quoad *principium  
engnoscendi* § 44. et ex hoc derivantur  
duo conjectaria 1) de *articulis pu-  
ris & mixtis* § 45. 2) de doctrinis  
fundamentalibus § 46. et de haeresi

ethica § 47. atque de *martyrio san-  
ctitatis* § 48.

Articuli mixti Ethicae sunt, tam-  
quam verae regulae, ex legibus natura-  
libus derivandi § 49-52. proponuntur  
igitur principia harum legum § 53. et  
suppedatur denique definitio virtutis  
naturalis § 54.

### CAP. III.

#### De conjunctione Orthodoxiae dogmaticae et ethicae.

Nulla datur Ethica *christiana*, nisi  
quae sit expressa ex Theologia dogma-  
tica § 55.

Quoniam Ethica chr. tota debet ver-  
sari in informandis Christi civibus ad  
bona opera, § 56. igitur omnis tra-  
tatio debet ex redemtione Christi deri-  
vari § 57-59.

Quod per partes jam accuratius ostendit  
1) de *obligatione Christianorum ad  
Sanctitatem* § 60.

II) De *natura Sanctitatis* chr. § 61.  
Cujus A) *principia normativa* sunt praec-  
ter 1) *leges naturales* § 62.

2) *Decalogus*, sed accurate interpre-  
tandus § 63.

3) *Praecepta Christi*, varia forma  
proposita, scil. ut adhortations et de-  
hortations § 64-65. ut preces § 66.

4) *Exemplum Christi*, non vero San-  
ctorum promiscue § 67-68.

Concluditur ex dictis ad ethici do-  
ctoris doctrinam § 69. disputaturque,  
quatenus *Conscientia* dici possit norma

actionum (euique suarum scil. indivi-  
dualium?) § 70.

B) Requiritur ad B. O. *bonum principi-  
um* § 71. debentque ea ad unum omnia  
proficisci 1) ex animo a vitio et libidi-  
ne dominante omni purgato, 2) ex libe-  
ra mente, cuius *fides* sola effectrix est  
§ 72. quippe quae Dei et rectum nostri  
amorem § 73. et omnium hominum  
perficiendorum studium ex sece gignat  
§ 74.

C) Fieri debent B. O. ob *bonum finem*,  
sc. unam ad gloriam Dei, § 75-76.  
ex quo efficitur *simplicitas pia* § 77.

III) De *possibilitate Sanctitatis chr.*,  
eui praefanda par est nemo, nisi vere  
conversus ad Deum per Christum a Sp.  
S. § 78.

Ostenditur vero, quam egregie faci-  
at orthodoxy, hucusque descripta, *par-  
tim* ad evitandum Laximum atque Ri-  
gorosum, § 79-81. *partim* ad often-  
dendam praestantiam Ethicae christianaee  
prae philosophica & maxime prae paga-  
norum illa § 82.

### CAPVT



## CAPVT PRIMVM

DE

# THEOLOGIA ATQUE IPSIUS ORTHODOXIA IN GENERE.



### §. I.

Quod SOCRATES, micans illud in tanta orbis antiqui superstitionis nocte fidus, divino quasi afflato, motus hinc humani generis, sibi idemtidem succedentis, miserabili conditione; illinc vero DEI incredibili bonitate, gravissime in Alcibiade Platonico editerat, de caelo sperandum esse scilicet, qui omnem illam ignorantiae caliginem ab oculis hominum sit ablaturus, eosque edocaturus, (ως δε προς θεος καὶ προς αὐθεωπες διανεδαι) quales nos erga deos et homines praestare fas esset: id vero summa humani generis felicitate statu commodissimoque tempore divino munere evenisse scimus. Descendit Christus de caelo, majestatis solio relicto, in terram, aeternus ipse filius Patris in humani generis salutem exsequiturus. Gravissimo consilio factum hoc esse, ut DEVIS ipse humanam naturam induret et triginta tres amplius annos inter mortales versaretur, nemo est vel mediocreiter sapiens, quin sponte sua auguretur. Scimus vero nos, quibus lux caelestis illa affulxit,

B

non

non aliam ob causam DEI filium hominem fuisse natum, quam ut superstitionum illis pravorum et pestilentissimorum in re divina errorum pulsis nebulis, ipse divino ore humanum genus cum rectum de DEO sensum, tum sanctissimam vitae rationem edoceret misericorde mortalibus ad unum omnibus aeternae addictis miseriae, iratum judicem piacula suo iterum placaret, gratiolos vero plenissime illius futurae beatitatis participes efficeret. Quam quidein rem inauditam profruis et admirandam, quodsi quis Philosophorum veterum, epiphaniarum deorum non ignarus, cognovisset, non est credibile, dubitavisse illum, quin illa doctrina caelestis omnibus numeris absoluta et in se cum verissima, tum etiam sanctissima fuerit. Nobis autem certum est firmissimisque argumentis exploratum, novi federis libros eam ipsam, quam Christus cum legatis professus fit, sapientiam continere ut totam, ita et puram et nulla sui parte corruptam. Quare summo studio perscrutari divinos hos libros et universam doctrinam nostram de rebus divinis ad illos quam curatissime excutere et conformare debemus. Quae enim ab hominibus vel sapientissimis tradita sunt, ea numquam ab omni errore pura et libera sunt: quae vero DEVM ipsum auctorem habent, non possunt non esse verissima. Ex quo consequitur, Scripturam sacram, quum divino afflato consignata sit 2 Tim. III. 14-17. 2 Petr. I. 19-21. aequem minus fallere nos posse, atque DEVS ipse posset, ab omni quippe errandi aut fallendi periculo remotissimus. Quapropter ipse Servator noster non aliam certiorem aut efficacioriem opem, qua homines illustrarentur, emendarentur, in omni vita sancte instruenda regerentur atque adeo ad DEI sanctissimam communionem perducerentur, commendasse legitur, quam traditam a se doctrinam: *Sanctifica eos, pater, veritate tua: sermo tuus veritas est.* Io. XVII. 17. Judaeos vero non alio, quam ad hunc perennem omnis veritatis fontem ablegavit: *Scrutanini scripturas, quandoquidem in eis vos aeternam habere vitam putatis, et eae sunt, quae de me testantur.* c. V. 39. hoc ipso mandato suo divinam V. T. originem confirmans, id quod et alias fecisse legitur Luc. XVI. 29. coll. Rom. III. 2.

§. II.

## §. II.

Evolventi autem, qua id fieri debet animi attentione ac religiosa docilitate, divinum codicem, incredibilis varietas narrationum rerum gestarum, doctrinarum, exhortationum, praceptorum, consolationum et multarum aliarum rerum gravissimarum, vario dicendi genere conscriptarum, sese offert; quas si inter se contulerit, facile animadverteret, unam Dei et humani generis rem cauillamque in toto illo opere agi, et ad hoc referri omnia, non, ut homines variarum artium humanarum, regundarum item civitatum, aut rei suae amplificandae scientia imbuerentur; sed hoc unum esse caput illorum librorum, ut totius universitatis opificem ac moderatorem, qualis sit, cognoscant, cognitum vero pie colant, atque hac una principe sapientia quam possint, beatissimi evadant ipsi. Ita enim videmus, non Mosen solum atque Prophetas, sed multo magis Christum et Apostolos de DEO primum magnifice praecepsisse; his autem praceptis exhortationes ad vitam sancte et juste moderandam omnem, mox addidisse. Jam, cum recto de divina natura sensu et item pio illius atque simplici casu quo cultu RELIGIO, ex omnium Sapientum sententia, continetur: Scriptura autem S. solus is liber sit, qui ab ipso DEO fuerit dictatus atque profectus: palam est, ex ea una optime atque tutissime ea omnia, quae ad moderandam religionem pertinent, hauriri et derivari debere.

## §. III.

Quodsi jam quis cum iis, quae Scriptura S. de divina, excellentissima omnium, natura et de hominum adversus eam pietate et cultu enuntiat, sapientissimorum hominum sententias conferat, quas non alio, quam rationis ingeniique sui lumine adjuti proferre potuerunt; videatque insignem inter utrumque genus conspirationem, atque intelligat praeterea, philosophorum veterum de rebus divinis sententias egregie a nostris exprimitis illis humanae cognitionis totius fontibus et principiis probabili et perspicuo ordine derivari: colliget exinde, *sacram Scripturam non modo religionem naturalem divina auctoritate sua confirmare*, atque adeo colendam nobis omni ingenii contentione, commendata;

*re; verum etiam, quoniam omnino nihil falsi in libris, divinitus dictatis inesse queat, eamdem longe excellentiori et firmiori ratione tradere ac explicare.*

## §. IV.

Deus est sapientissimus atque sanctissimus: non potuit igitur alio, quam optimo fine totam rerum universitatem producere et quasi architectari. Jam vero cum idem sit natura ex se de beatissima, (est enim virtutibus omnibus, quae quidem cogitari junctim atque absolutissimae possunt, ornatussumus fieri non potuit, ut in tanto opere condendo suae ipsiusmet amplificandae felicitatis aliquam rationem habererit. Quodsi enim condendo mundo accedere ad ipsius magnitudinem & felicitatem cumulus quasi quidam potuisset, neque infinitus, neque immutabilis, neque adeo natura absolute necessaria ac independens haberi posset DEVS. Reliquum igitur est, ut tanti operis molitus et tam solers descriptio illustranda gloriae suae causa solum sit effecta. Nam sanctitatis ipsius est, omnibus suis perfectionibus agere semper quam convenientissime: fieri igitur non poterat, quin in mundo condendo eas manifestaret. At vero haec ipsa manifestatio perfectionum divinarum gloriae Dei dicitur. Ps. XIX. 2. Rom. I. 20 seq. Jam, cum Deus sibi semper constet secumque in omni opere consentiat: consequens est, ut omnes res ab eo dependentes, ad hunc finem obtinendum collineant, tandemque, qui per dotes rerum creatarum obtineri possunt, fines, singuli ultimo illi scopo sapientissime attemperentur atque vi hujus subordinationis se ad illum, habeant ut media. Et quod ad res partim sensu, partim mente praeditas attinet, jucundum est perspectu, quam admirabilis sit earum singularum atque omnium ad manifestandam opificis sui vim praepotentem, sapientiam ac parem his bonitatem, consensio: hominum autem corpus ita affabre esse constructum, ut virtutes hae in illo, una omnes quasi in tabula aut signo aliquo exsplendescant, mentem vero ipsam et admirari istas posse perspectas a se virtutes, et venerari, et imitando etiam consequi aliquo modo posse. Quare quum recte se habeant reliqua omnia ad Deum et sit justissima earum ad totius universitatis auctoritatem relatio: consentaneum multo magis est, ut homines ad mirabilem

lem illum, ex tot diversis motibus et actibus ortum universitatis concentum, harmonia suaviori, quam quae in cantu et fidibus est, quasi concinuant atque conspirent \*).

## §. V.

Et habent homines, quod imitantur, hujus cum finibus Dei confessionis exemplum in Angelis. Hae enim excellentissimae mentes ut perpetuo in D E V M, tamquam in perfectissimum virtutis omnis exemplar, intuentur Matth. 18, 10. ita omnes suas facultates, cogitationes, consilia atque studia voluntati divinae perficiendae tanta contentione accommodant, ut, cum D E V S in constanti hoc perfectoque obsequio placide acquiescat, tamquam in sanctitatis suae simulacro, rogare discipulos Servator caelestem Patrem jubeat, dignetur praestare sua gratia, ut voluntas sua aequa in terris fiat, atque in caelo. Matth. 6, 10. Et erat homo, cum consideretur, tam praeclaris animis dotibus instructus, ut tota vitae suae actione cum hac universalis ordinis lege consentiret et pie, juste ac benefice ageret, verbo, spirans divinae naturae imago esset. Gen. 1, 26. 27. Verum eheu, fuit ista quondam generis nostri felicitas! In flore enim ita est extincta primo illo flagitio protoplasmorum, ut magna exinde sequuta sit naturae humanae corruptio, quae tristissima haereditate ad omnes mortales derivata, ita animos singulorum infecit, ut, dum sensuum imperio subjecti sumus, ad ea coeco impetu feramur, quae grata his quidem sunt; aversemur

B 3

\* An fortassis sensisse Pythagoras hujuscmodi quid dicendus est, tam suaves orbium caelestium concentus *divinorum* more nobis suo narrans? c. 1. in somn. Scip. Sed videlicet magis operae pretium est, notari hic a me, BERNH. LAMI in *Demonstrations évidentes de la vérité et de la sainteté de la morale chret.* totam Ethicae-chr. compaginem ita quasi construxisse, ut ponat: Hominem felicitatis suae esse appetentissimum: hac autem non potiri, nisi cum Dei legibus et finibus consentiant atque adeo divinam in se imaginem, i. e. sapientiam atque justitiam, instaurari patiatur. Idemque auctor, quod propter §. 55. notari velim, totam suam Ethicam dogmaticis doctrinis superstruxit, et quamquam unus de Patribus oratori, tamen fatis sane ac praeclare.

contra, certe negligamus illa, in quibus nulla vis insit voluptatis sensualis excitandae. Quia propter nullam non modo *justi* illius *universalis*, quod ex naturali rerum omnium cum ad se se invicem, tum ad D E V M ipsum, relatione exsurgit, habemus rationem; verum etiam ex tanto perversissimarum libidinum secumque pugnantium conflictu studiorum perturbatio ordinis sequitur *rerumque in orbem magna confusio*. Est enim το φρονημα της σοφιας non modo mors et exitium hominis, sed etiam *inimicitia adversus Deum*. Rom 8, 6. 7. utpote quod legi divinae neque subjectum sit, neque subjicere queat v. 7. atque adeo dominante isto sensuum perturbatissimo in mente imperio, nulla, quae D E O ipsi placeat, virtus ex eo animo proficiisci queat \*). Quam si quis in historia generis humani, tam-

\* Quoniam tamen dantur gradus depravationis illius naturalis, ut ceterorum habituum (*Buong. Eth.* §. 51) qui per causas externas physicas et morales, maxime vero educationem et fata pueritiae determinantur varie (*Moshem. Eth.* I. 342 ff) certe loca illa de *mortalis in peccato* Eph. 4, 1. Col. 2, 13. item de subjectis potestati Satanae Act. 26, 18 rel. videntur (ut alia generalius enuntiata multa *G L A S S. Philol. S. in rhetor. Tr. I. c. 14. p. 435 ff*) de iis inter integras gentes intelligenda esse, qui consuetudine maxime peccandi, habitum sibi atque adeo servitatem contraxerint moralem. Ut adeo his S. S. sententiis neque *libertas humana* in moralibus in genere, neque ad actus paedagogicos in specie, neque adeo *imputabilitas* actionum in hominibus *υχειν* tollatur. (§. 27) Non enim omnes inter gentes inexpibiliibus illis flagitiis Rom. I. notatis, contaminavisse se, nec omnes Iudei omnem metum numinis abjecisse Rom. 3, 10. 18. censi posunt. Quare et multis profanos inter populos vitia abhorruisse, et virtutis Deique amantes fuisse dicendum, de integris vero nationibus idololatricis negandum est. Non attingissimum ceterum locum hunc dogmaticum, tam invidiosum, nisi omni modo faciendum putarem, ut libera sit ab omni culpa divina providentia, quae per tot saecula carere orbem terrarum propriori revelatione voluerit. Nam si omnis libertas tollatur, (quod sit a nonnullis, male illam similitudinem, a *truncu* sumtam, intelligentibus, vel potius prementibus) non potest ulla gens profana neglectae salutis agi rea. Sed occurrendum etiam est impiae mul-

tamquam in tabula, quasi uno obtutu intueatur, non possit non intelligere, cum reliquae res omnes constanti vicissitudinem suarum ordine, cum tot magnifica atque praeclera opera ipsa sua pulchritudine ac bonitate excellentissimum auctorem ac opificem uno ore loquantur: unius humani generis vitia esse, quae ancipites et eas permolestas, de divina sapientia ac benignitate dubitationes excitare bonis mentibus possint.

## §. VI.

Quare quum *naturalis* illa *religio hominem* supponat *viribus adhuc salvis ac integris* (§. 4.), quae vero jam aut nullae, aut saltim admodum fractae ac parvae sunt (§. 5.): necesse erat, ut ea religione DEVS humano generi prospectum consultumque iret, quae esset miserae illius *praesentis conditioni* accommodatior. Haec vero qualis esse debuerit, non est difficile perspectu. Nam

I. naturali illi ordini et justi illius universalis legibus conformater, clarissimo documento demonstrandum erat, ferale esse et morte piandum, sapientissimas universitatis regulas pulcherrimum que istum per omnem naturam pertinentem ordinem turbare, et cum injurium esse in summum DEI imperium; tum ab ipso, tamquam absolutissimo et uno omnis sanctitatis ac bonitatis exemplo ac lege deficere. Redendum igitur erat *justitiae ac sanctitati divinae suum decus*. Hujus autem vindicem, subeundis vice hominum, suppliciis juste meritis, fuisse IESVM Nazarenum, S. Scriptura sexcentis

multorum inter nos ignaviae, qui haud prius de sua sibi emendatione putant esse cogitandum, quam impetu quodam Spiritus S. ad eam impellerentur fortius, monendique hi sunt severius, non esse exspectandum supernaturale auxilium ei, qui naturalibus rationis viribus aut omnino non, aut minus recte studiosissimeque utatur. Et sane, plena est S. Scriptura exhortationum et comminationum etiam ad naturales et irregenitos homines directarum. Quae brevius hic a me dici debuerunt, hoc praestabunt, ut media inter Pelagianismus et Iansenianismus via incedamus, quae fortassis in Synergisticis illis litibus detecta esset, nisi saeculi vitiis tanto animorum motu concertavissent hi, quibus una veritas cordi esse debebat v. Ven. WALCHII Religionsfreit. d. Luth. K. Tom. I. p. 63 ff. et IV. 87.

centis testimonii confirmat. Nam qui putant, Deum citra λύτρον veniam hominibus impertire potuisse, falluntur, quoniam, quae manifestari debuit in mundo gloria, non bonitatem modo, sed omnes reliquas perfectiones complectitur. (v. infra §. 57. not.)

II. Et quoniam ipsis felicitatis vel recuperandae, vel excelsioris consequendae, maximum est humanis mentibus ad magna et ardua audendum incitamentum: excitandum erat illis mole malorum suorum oppressis, novum ad bene de felicitate sua omni sperandum, signum. Ait vero S. codex singulis fere paginis, datum esse eumdem J. C. divinitus divini amoris conciliatorem, neque esse tanto salutis auctore desperandum piis, quantumvis vel scelerum olim admissorum memoria affligantur, vel infirmitatis suae fragilitatisque in consecunda absoluta numeris omnibus virtute, sensu deprimantur. Esse, qui bene cupientium et pro virium modulo ad virtutis culmen enitentium caussam agat, παρεπιληπτον 1o. 2, 1. Ebr. 4, 15. Quae ipsa vero persuasio, quaeſo te lector, quantivis est? Annon, quo quisque est sanctitatis studiosior, eo gravius languente illo saepius pietatis studio erroribusque tam multiplicibus et frequentibus a regula, afflicetur, necesse est? CYRUM quidem ac SOCRATEM hinc excessuros bene de bonitate deorum sperasse ac affirmasse, memoriae proditum est, cum seſe justos, integros et a scelerum contagione puros castosque fervavissent, boni hoc studium esse consulturos; quae autem secus, quam cuperent, a ſe facta eſſent, his veniam facile impertituros. Habet haec fortassis persuasio aliquam vim ad mentes erectas et alta spirantes sustinendas: at, ut est humana conditio, quodſi tempora incident triflia, animusque hinc adversis rebus multis, illinc corporis sarcina et morborum vi opprimatur, verendum est, ne illa omnis laetior spes, ab animo recte et male actorum conſcio profecta, concidat, omnisque illa mentis serena tranquillitas ortis vel in illa, vel aliunde, nubeculis, opinione citius evanescat.

III. Et quamquam, qui DEI virtutisque excellentissimam praeftantiam cognoverint, sperari possit, utrumque sponte sua amatueros esse: tanta tamen est sensualitatis nostrae, inde a teneris auctae vis, ut nequeat ſe tueri virtus nostra et erigere in tanto per-

turbationum libidinumque impetu, et in tam diffcili ancipitique loco, in quem saepius nos vel fortuna, vel internarum mentis commotionum tempestas defert. De qua infelicitate naturae, sibi relictæ, egregius est CICERO NIS locus in *Tuscul.* III. I. Haec vero efficaciora sanctimoniae consequendæ conservandæque præsidia religio christiana offert. Quare illam multis de nominibus religionem naturalem superare, certum est et evictum, pessimeque adeo illos humano generi consulere, qui sublatam eam, vel certe principatu suo privatam diversis studiis cupiunt; vel hoc uno jam præclarissime de humana virtute et salute meritam, quod *immortalitatem animorum*, adeo etiam vel sapientissimis veterum dubiam, firmissime una stabiliverit \*).

## §. VII.

*Enitendum ergo piis et humani generis amantibus omnibus est, ut, qui religionem christianam unus continet, liber, S. Scriptura, in maximo apud cunctos honore sit, reliquisque omnibus humanæ sapientiae monumentis præferatur. Quod, cum commendanda singulis ejus lectione attenta et pia fit; tum vero eruditorum maxime hominum in ea illustranda, explicanda, omnisque generis doctrinae luminibus ornanda, laboribus efficitur. Et est sane hoc luculentum et in primis illustre divinae providentiae testimonium, quod in hac arce humanæ salutis munienda, instruenda atque defendenda, tanto magis summorum studia virorum exardescant, quanto plus insidiarum, pruriens in pugnam adversus D E V M et pietatem christianam sacculo, a maleferiotorum aucto in dies agmine strui videmus.*

## §. VIII.

\* ) Totum hoc Dei, salvandi humanum genus consilium perennitatem animorum supponit, de qua anxi vivebant gentiles, ipsi vero eorum Philosophi dubii moriebantur. (v. HUETIUS in *Quæst. Alnet.* L. II. p. 123 - 131. ed. Lips.) Et est tanto accommodatius ad intelligendum, quod fere totum factis innititur, quorum historica veritas egregie dudum est demonstrata.

## §. VIII.

Verum naturalis illae atque revelatae religionis sententiae in S. Scriptura, non eum in modum traditae et consignatae sunt, ut eo ordine, quo una ex altera pendet, una alteram complectitur ac sustinet, positae cernantur. Sunt enim cum libri ipsi, (ex multis enim Biblia constant) tum vero partes ipsorum librorum variis diversisque temporibus exaratae, prout id temporum et ecclesiae rationes postularent, ipsisque adeo et hominibus et necessitatibus eorum sapientissime accommodatae. Necesse praeter ea has ipsas ob causas fuit, ut D E V S eo sermone voluntatem suam explicari curaret, qui esset cum his, qui scriberent; tum vero illis, quibus scriberetur, aptissimus. Verum ipsa haec tam sapientis et miraculis parcens *ouyntaθat*, male habet eos, quibus ut una sua philosophia et blandior adhuc aesthetica sapit, ita vel illa suavitatis plena, in Scriptura S. rerum varietas, inconcinnia coagmentatio; orientale vero genus dicendi insulsum et parum probabile videtur. Hi vero, quod ad posterius pertinet, obiter monendi sunt, ridiculum fore, postulare, ut gentes ceterae nobis toto caelo dissimiles, hoc uno nobiscum convenienter: alterum vero divinis Scriptoribus cum ipsis veterum philosophis, omnibusque, qui epistolari genere scriptiissent, commune esse. Sed et horum vel reprehensionibus, vel desideriis satisfactum, et populi christiani necessitatibus eximie a multis provisum est. Duidum enim est, quod acutissimi quidam homines ea, quae credenda agendaque in S. Scriptura sparsim propounderunt, in unum corpus, tamquam dissoluta membra, colligerint et ita inter se copulata collocaverint, ut cuique non pro rursus tardo appareat, quemadmodum omnes christiana sapientiae partes ex singulis invicem aptae ac interna quadam necessitate ac ordine inter se nexae sint. Atque ex hoc studio nata est THEOLOGIA, quam recte *rerum divinarum scientiam* eruditamque de religione cognitionem appellamus, quoniā omnia, quae de D E O et hominum cum eo conjunctione, in ea ex divinis litteris docte traduntur, et accurate explicantur definiunturque, et firmissimis singula rationibus confirmantur; ea quidem

dem methodo, quae sit ad intelligendum et persuadendum facillima \*).

## §. IX.

Monendum igitur est, universum hoc, artificiosae eruditaeque tractationis consilium non eo proxime spectare, ut singuli Christiani ex subtiliter eruditeque conscriptis his libellis salutis consequenda viam et rationem cognoscant; verum principem et maximam eorum utilitatem hanc unam fere esse, ut *partim* defendi eo melius doctrina christiana adversus secus sentientium opiniones, speciosas haud raro, captiosas ac perdifficiles possit; *partim*, ut habeant rei sacrae operantes quasi quosdam argumentorum locos, in quos singula illa et varia, quae hinc & inde in divinis libris leguntur, ordine quodam naturali disponere queant. Quam præterea egregie reliquis, ipsisque rudibus Christianis populariter conscriptis libellis, et *catecheticis* in primis, prospectum la nostris doctribus sit, neminem fugere potest.

## C 2

## §. X.

\* Apparet vero hinc, multa dogmata fervente S. Scripturae studio, posse adhuc definiri et explicari melius; et falli, qui putent, uni Theologiae aucto litterarum omnium lumine, illustranda ornandaque nullum locum reliquissimae majorum industriae. Non enim eo consilio a Theologis nostris priu[m] systemata sunt conscripta, ut constringerent quasi praecepsis suis ingenia erudita et pia sequentium aetatum, sed ut sui temporis doctores habarent in motis sua cujusque aetate controversias formam doctrinae. v. praefatio cum Melanchthonis, tum c h e m n i t i i, hujus *locis theologicis* praefixa Tom. I. p. 16-30. Ait vero maxime p. 28. typos hos necessarios fuisse, quoniam multi eamdem Lutheri doctrinam professi, tamen eo tempore dissimiles sententias tenerent, nec similiter omnes loquerentur. MELANCHTHON vero innuit, opus est his formis maxime ob certamina (tunc temporis) excitata p. 18. Ex quo inferemus infra, sua cuique tempori esse debere nova fere systemata § 12. Et, quae habemus, litibus maxime, quae duobus proximis saeculis agitantur, inferire, inductione, si id opus esset, facillime a me posset ostendi.

## §. X.

Quoniā Theologia differt a populari disciplina, qua Christiani ad unum omnes debent ad consequendam salutem erudiri: (*Christianissimum vulgo appellamus*) in prout sunt duo, quae exinde derivemus. Primum est, *multa ignorari citra salutis damnum, a ceteris Christianis posse, quae nescire Theologum nefas sit.* Quod ne novum, immo vero periculosum aliquibus videatur, perpendant quae secum cordatores, an non quaedam sint in Theologia quæstiones ita subtiliter, (quod propter ortas maxime inter doctores concertationes necesse erat,) disputatae atque definitae, quae in Scriptura S. simpliciter modo strictimque tradantur, quarumque natura et vera ratio non nisi ab iis, qui perspicaciores sunt et linguarum interpretationisque legum callentes, perspici reddique queat? Jam, cum persuaderi nobis nihil possit, nisi quod vel evidente S. Scripturae testimonio, aut juste derivata inde consecutione, vel alia denique ad cujusque ingenium accommodata ratione comprobari ostendique queat: nihil est, *quod ejusmodi doctrinæ, tamquam ad salutem universum scitu necessariae, publice ac promiscue tradantur,* cum nemo sit de populo christiano, qui eas alio modo, quam una auctoritate humana nixus, pro veris sit habiturus, aut, quum non intelligat, in usum pium conversurus, Quanto contra melius foret, ad pietatem alendam ordine enarrare pro concione N. T!

## §. XI.

In malam quidem partem haec aliquos rapere posse, facile sentio. At, si iis quidem honorificum videtur, ea, quae docte pro cathedris disputantur, pro rebus ita magnis ac necessariis haberi, ut nemo, nisi illa firmiter teneat, saluis suæ certus esse possit: nihil ego dubito, ingenue profiteri, quod alibi jani ecclesiæ amore ductus, professus sum. Quem enim non miseret populi Christiani, qui earum litium meminerit, quibus saeculis proxime duobus superioribus misere disperta et vexata gens fuit, Flacianorum, Philippicarum, Synergisticarum, adiaphoristicarum et aliarum multarum? Quae sāne numquam fidelium gregem tantis; in auctores litium earum doctarum, odiis incendisse legerentur, nisi temere a doctoribus ecclesiasticis pro concione promiscua eae quæstiones

stiones propositae disceptataeque fuissent. At rogo te, cui bono? Scilicet cives nostri ii sunt, qui his de rebus dextre judicent! Idem censeo de binis illis capitibus, quae acerrimum illud inter Protestantes dissidium, communī utriusque saluti, immo vero ipsi rei christianaē, adeo exitiosum, jam per ducentos amplius annos aluerunt; quaestiones intelligo de *decretis divinis* et item de modo *praesentiae Christi in S. coena*. Gravius illud, fateor, esse, quam ut perinde sit, quemadmodum de eo statuatur, nec omnino alterum negligendum erat. Et laudandum in primis est, quod doctores nostri omnem in his capitibus, et quae cum iis connexa sunt, excutiendis operam ponendam judicaverint. Quod quam utile fuerit, sententiae Brandenburgensium de gratia universalī testatum faciunt. Altera quaestio ut difficiliores habet explicatus, et hermenevtica potius, quam dogmatica est: ita nihil magis improbandum, quam anticipates has et alias quaestiones alia, quam erudita lingua, i. e. latina, publice magno Christianorum periculo disputari.

## §. XII.

*Alterum*, quod §. 7. contineri puto, aequa facile probaturum me esse spero rem quamcumque aequa lance expensuris: scilicet, *Theologiam*, cum ad stabiliendam defendendamque doctrinam S. Scripturae maxime debeat esse instructa, ad temporum rationes sapienter prudenterque esse accommodandam. (§ 8 not.) Ne id fecus, quam sentio, quisquam interpretetur, aut ita accipiat, ac si velim quaedam taceri, quæ parum fert aetas nostra superbe et delicate fassidiens; alia vero mollienda, aut eum in modum immutanda, ut proprius ea v. c. ad Naturalismum aut Indifferentismum accedant! Absit hoc, ut caussae DEI ipsius ita turpiter dissidamus, ut illam arte tam ignobili non servemus utcunque, quam verius impie prodamus. Ignavi hoc et perfidi militis esset, arcem, quam virtute tuiturum se desperaret, sui commodi caussa tam iniqua lege hosti tradere. Melius scilicet est et tolerabilius apertum bellum, quam pax infidiosa aut male parta. Attendamus igitur cum ad rem ipsam, tum ad modum, illam tradendi.

## C 3

## §. XIII.

## §. XIII.

Quod igitur I. ad doctrinas ipsas attinet, perspicuum est, quorumdam dogmatum explicationem ac subtiliorem definitionem hoc magis, quam alio tempore necessariam ac utilem esse; iniquius itaque nostris cum Theologis agere, qui deserere eos prisorum illorum, Chemnitii, Gerhardi, Musaei et aliorum magnorum sua aetate veritatis promachorum, vestigia, acerba saepius loquacitate conqueruntur, atque hoc ipso nomine vicem ecclesiae dolent. Multa, fateor, et varia rerum copia illa coetus nostri lumina dogmaticam Theologiam auxerunt et nemo est, quin Gerhardi grandia illa volumina admiretur, ad quae nostrorum Theologorum pleraque parva sunt. At quis non intelligit, frustra certari argumentis & libris cum Pontificiis, dum nemo illis persuasurus sit, istum opum et potentiae principatum dimittere? Atque dum satis docte ostensum est, Deum gratis nobis vitam aeternam largiri, id jam agamus, ut fratres nostri purgata patrum studio, superstitionibus avitis religione Christi, conformem tam excellentibus dogmatis vitam agere discant et etiam bene cupiant, jungentes huic studio reliquas eruditionis theologicae partes. Multa alia argumenta illi olim eruditii Theologi operibus suis dogmaticis intexuerunt, quae commodius hodie utiliusque ad singulas disciplinas, Ethicam, Polemicam et Exegesin transferuntur. Quae, si illis de libris recideris, honorificentius ac aequius de recentioribus ecclesiae evangelicae doctoribus existimabis. Et quidni existimares, quum videas, eos certatim de ipsa S. Scriptura, de textu, de sensu illius eruendo enarrandoque et de tuenda adversus oppugnatores cum a subtilitate ingenii, tum a generis nobilitate et munera dignitate metuendos, religionis ipsius sanctissimae et veritate historica et originis doctrinaeque divinitate insigni eruditione ac virtute, elaborare, minus contra, quam Chemnitios & Gerhardos, de Patrum consensu sollicitos esse \*). Quare dum cum hostibus religionis ipsius congregandien-

\*). Miranda dicamne an laudanda eo magis est haec Theologorum nostrorum erga Pontificios liberalitas, quod non modo Centuriatores Magdeb. sed ipse etiam CHEMNITIUS (Loc. theol. I. p. I. sq.) errores, ut ait, in fundamento in ipso

diendum idemtide sit, an non in summa prudentiae laude est ponendum, quod in libellis suis dogmaticis non tam pristina illa bella renovent, quaestionesque prisorum et toties jam profligatorum adversariorum opprimendorum causa aequa dialectice, et verbosè, atque v. c. Hollazius, definiant, quam potius nova prorsus capita, quae ad honorem S. Scripturae et religionis ipsius christianaæ pertinent, inserant? Quod quidem ita laudandum est, ut mirum sit, Bajerum, Koenigium aut Dietericum, (ut his utar,) a nonnullis in instruenda iustis armis pube studiosa, recentioribus quibusdam probae notae compendiis academicis praefterri. Quasi vero illi non suae aetati maxime scripsissent! Sed transeamus etiam paullulum ad *Ethicam christianam*. In qua miratos, scio, nonnullos fuisse, quare MOSHEMVS de Lycurgi legibus, de Socrate, Platone, Confucio, multisque rebus aliis, quibus nulla vis inesset ad pietatem Christianorum accendendam fovendamque, tam multus fuerit? Hi vero si didicerint, laudari haec quae dixi, orbis alieni sidera ita effuse in aulis maxime Principum, ut eorum non sapientia modo, verum virtus quoque, Servatori nostro impudentissima loquacitate praferantur: desinent mirari consilii insolentiam, prudentiam contra imitari incipient. Ego vero sequutus magistri exemplum, alia attigi, quae, non sum nescius, alieno loco posita videri posse,

nisi

ipso Athanasio p. 9. Chrysostomo p. 13. Augustino 14 notarent. Proxime vero a S. V. SEMLERO eruditissime omnium demonstrata est Patrum circa eadem capita summa dissensio, ut sperari debeat, ab humana horum auctoritate ad unam divinam mox discelliuros eos esse, qui studio, ut vocant, patristico plus sere temporis tribuerant, quam philologicis et aliis melioribus eruditii Theologi praefidiis. Hoc tamen utilitatis veterum monumentorum tractatio praefabit singulis aetatibus, ut, qui voleant et debent, intelligent, nullo tempore eos, qui non in verba magistri jurassent, sed suo judicio ute-rentur, eodem prorsus modo de omnibus doctrinae particulis sensisse, et esse etiam in theologicis cujusque sensus et judicia cum per dotes animi, tum per reliquam scientiam et per causas externas varias ita determinata, ut et hic *individuationis* principium admirabile sit; hoc vero singulare, minus moralitatis, quam pars est, studio veri theologici, et in hoc conscientiae iuribus, tribui solere v. infra (§ 63. in not.) de lege dicenda.

nisi obesse scirem, scolorum hominum opiniones, vernaculis scriptis magna veri, majori ingenii specie hinc et inde sparsas. Ita, dum novi, celeberrimum Montesquieu oracula saeculo nostro fundere videri, non potui non, Tomo VIII., in quo hucusque desudavi, multa iniquius in evangelica p[re]cepta ejus enunciata falsitatis convincere, aut certe vanitatis gallicae.

## §. XIV.

II. De modo res divinas explicandi idem est statuendum. Nam ut universim in Theologia tradenda, quemadmodum in aliis disciplinis, ea ratio sit tenenda, quae censeri debeat ad res pandendas persuadendasque aptissima; certum tamen est, hanc ipsam rationem non omnibus singulis temporibus eamdem unamque fuisse. Verum interrogando eliciebat Socrates; Cicero academicus proponebat, de qua utramque in partem disputaretur, quaestione; continuo hic de officiis filio scribens, et Aristoteles utebantur sermone. Quis igitur unus Theologis hanc libertatem invideret aut jure censereret, quodsi non eadem via in persequenda veritate incedant? Et nemo superiori aetate stomachabatur, cum Melanchthon a populari Lutheri sermone paullulum discederet in locis suis. Optabile potius fuisset, ut huius et Calvini exemplum sequuti fuissent postea Theologi omnes, ut pote quod quo propius ad veterum illam simplicitatem, lacteum ubertatem et sermonis ornatam concinnitatem accederet: ita ex eo cum summa exsilit ad res intelligentias ponderandasque utilitas; tum vero maxime ingenua delectatio in cognoscendo hoc planissime, quid quamque rem sequatur et quid sit ea ingenii et doctrinae ubertate demonstratis p[re]ceptis Theologorum contrarium. Verum, erat hoc deinceps dandum temporum injuriae, ut, quoniam Theologis acerrime esset cum Jesuitis maxime, quotidie depugnandum; hoc vero genus promachorum Romani Pontificis vafrum et bellicosum quemadmodum olim Stoici, et duro sermone uteretur, et laqueis facile distinctionum subtilitatumque Scholasticarum, hos, qui simplici et plano disserendi disputandique generi essent adsueti, irretirent: inde a Neoburgensi illo colloquio, Aristotelico more Theogiam tractarent, quo

quo instruerent scilicet tirones ad congregendum feliciter et gloriose cum hoc formidolosissimo adversariorum agmine. At, quum acerbis horrificisque his bellis ipsa temporis diuturnitas modum tandem poneret, fieri inexcusatus videtur, quod scholasticum illud jejunum et aridum de sapientia divina differendi genus non dudum fecerit plano, simplici ac ornato sermoni locum. Quo magis ini qui illi censores sunt Theologorum nostrorum habendi, qui vitio his vertunt, quod fere a formulis illis dialecticis abstinent. Nam ut omnino pauci inter nos Aristoteleam philosophiam intelligunt; ita etiam, quae ipsis contortulis vocibus subjecta vis sit, ignorant. Idem fere censeo de eo *formularum* genere, quod *caute loquendi* in scholis vocatur. Nam ut illae in litibus olim concertationibus que sunt compendii normandaeque disputationis caussa inventae et moderate laudabiliterque a cordatis viris, nominatim ab URB. REGIO definitae: ita non est iis pertinacius ad haerescendum, quasi divinitus nobis commendatis, quodsi *salva veritate* eadem res planius et ad pacem cum dissentientibus, philosophicae vero, quae tum regnabat, linguae ignaris aut impatientibus, componendam aptius possit enuntiari. Ut enim facile largiar, non esse temere committendum, ut ab ipsis vocibus, *égoëtias*, *personalitatis* aliisque, abstineamus, aut ab aliis rectae doctrinae aptis signis; propterea quod illae quam maxime compendiaria ratione significant, quae sit Theologorum nostrorum de gravissimis illis, de quibus maxima dissensione inter nos et alios disceptatur, capitibus sententia: secus tamen pronuntiandum puto de aliis phrasibus, quae, ut sunt plerumque inter belli ardore primum, et fortassis temere interdum, urgente necessitate quodvis telum ministrante, adhibitae: ita non debemus mordicus illas defendere, quodsi illis abjiciendis atque cum melioribus commutandis, pax cum adversariis tam aqua conditione redimi reddique ecclesiae queat. Novimus vero, fuisse, qui vel earum formularum, quae sunt a nonnullis hymnis suis inspersae liberius, patrocinium in se justo acrius, quam necesse esset, suscepisse atque illa et alia mordicus defendisse: *Durch Adams Fall ist ganz verderbt menschlich Natur und Wesen etc.* item illa: *O große Not! Gott selbst liegt tot!, am Kreuz ist er gestorben etc.* Sapien-

tius factur, quodsi QUENSTEDTIUM nostrum (in *sytem. Theol.* Tomo III. c. 3. Membr. II. S. 2. p. m. 327 f.) imitarentur. Nam quamquam sane quodam sensu dici accipique haec possunt, (ut traditur in dogmatica Theologia in loco de tribus generibus commun. idiom.) tamen quia commodius atque aptius res ipsa S. Scripturae verbis explicari possit, non est ardoribus istis animorum, adhibendis his formulis quasi subjicienda nova in dies materia. \*) Quo magis cuperem, ut eruditissima praeceptoris nostri desideratissimi Dissertationes tres de *Theologo non contentioso* ad 2 Tim. 2, 23. 24. nostra etiam aetate non legerentur modo studiose, sed etiam aequo animo perpenderentur ab his, quos unum veritatis & pietatis junctionum studium venerabiles optime reddiderit saeculo mollis quid et humani spiranti.

## XV.

Non deesset, quod copiose de ratione tradendae morum doctrinae disputare possim. Qui enim patrum memoria de illa benereri voluerunt, Aristotelem maximo prorsus incommodo sequentibus

\*) Iniquissimus sit aetatis nostrarae censor, qui neget, si vel hoc unum, certe magnum meritum de re divina, quod jam quidem omnes fere voces definitiunt accurate, quarum alias vagus, promiscuus incertusque usus incredibilis de vocabulis concertationes excitavit et aluit. Nam ut de biblicis et maxime Paullinis πολυσημοις, ut sunt εργα, πνευμα, δικαιονη, νομος, Θεωρος, et ipsa appellatio Χριστος, nihil dicam, quam ambigue una vox, *Gratia* in theologia veteri et recentiori ab Augustini usque aetate, adhibetur! Iam vero nemo fere est logicis praeceptionibus vel mediocriter a schola tinctus, quin moneat, eam significare jam amorem Dei; jam operationes Spiritus S. (i. e. *gratiam affectivam* et *effectivam*) jam mutationes illas spirituales et actiones regenitorum, qua talium. Ut hoc obiter addam, nondum satis illud observatum est, iisdem verbis aliam biblicam, aliam theologicam potestatem esse subjectam. Sic πιστις Rom. 14, 23 quae Paulo est ibi *conscientia*, male accepta est pro fide salutari, v. alia exempla in Eth. Mosh. II. 1. f. de voce poenitentia & fides. III. 372. 407. Dudum optavi, ut vir aliquis acutus definitiones biblicas et theologicas uno corpore colligeret in usum Theologiae studiosorum, verbo: *Lexicon Theologicum* conscriberet summa cura.

bantur, cum quod de paucis admodum virtutibus exposuerunt; tum quod malam illam et valde incommodam, immo vitiosam Stagiritae legem adsciverunt: ut agerent primum quidem de fine disciplinae moralis, deinde de *Subjecto*, denique de *mediis*, intelligenterque sub his actiones ipsas Christianorum. Id vero, ut vel ex unius HENRICI RIXNERI *instructionibus Theologiae moralis* (Francof. 1690 editis in lucem) palam est: ita missum hoc facio, quoniam infra hoc caput iterum attingendum erit; dicturus de his breviter, quae ad sermonem spectant. Et nemo est, qui ignoret, rem eamdem jam philosophico, jam comtiore rhetorum stilo exprimi posse. Qui igitur docendi tantummodo causa de Theologia scribunt, recte faciunt, quando doctos via compendiaria in adyutum illud divinae sapientiae manu quasi ducunt; qui vero et hos, quos et alia causa ad tractanda studia severiora invitet, alicere eo velint, sapienti consilio iter floribus vestitum, quamquam paullo longius, eligunt. Proprio illi, puro ac perspicuo utantur genere scribendi; ubere hi, ornato, copioso, luminibusque exemplorum imaginumque distincto \*). Brevitas illorum perspicuitati aut absolutioni minime officiat; ubertas horum nusquam redundet. Illi multa, hi non omnino nulla legentium meditacioni relinquant. Ita vero cuique lectorum generi a doctore provisum erit. Quoniam vero in manibus sunt de utroque auctorum ordine atque adeo et de rhetorico et de dialectico, (ut Cicero vocat de Fin. II. 6) genera libri, missa hac observatiuncula, ad rem proprius accedemus.

## D 2

## §. XVI.

\*) Eo magis optandum esset, ut in hac copia librorum pure et eleganter conscriptorum ne umbra quidem illius mysticæ et Zinzendorfianæ fuliginis, auctissimam christianaæ pietatis imaginem commacularet et id quidem saeculo tam politulo et in orationis imaginibus atque luminibus mire sibi, et jure etiam, placente. Et tamen recens notatur exemplum in *der allg. deutsch. Bibl.* Vol. II. Part. II. p. 61. & 234. Qui vero ornatam Theologorum ethicorum dictiōnem esse negant debere, adeant modo HERVEUM, de imaginibus et ornatu cum stili S. S. tum maxime sermonum a Christo habitorum suavissime differentem in *seinen Betr. über die Herrlichk. der Schoeff.* P. II.

## §. XVI.

Quoniam, ut supra diximus (§. 2.) Religio Christiana partim credendis, partim agendis absolvitur: *Theologia* etiam non potuit non in duas partes *dividi*, in *dogmaticam* et in *moralement*, cui utriusque adest *exegetica* quasi quaedam opum et praefidiorum in divinis libris inventrix, *polemica* vero tanti thesauri sacra custos. Qui his *Symbolicam*, *Patristicam*, & *historicam*, immo etiam *homileticam* atque ipsam *catecheticam* addunt, rectius facerent, quod si tres priores species historiae magis et eruditionis theologicae, qua illustretur orneturque systematica illa, quam Theologiae ipsius, genera nuncuparent; duae posteriores vero illae tanto minus Theologiae ambitu comprehendendi possunt, quod sunt non tam Theologiae ipsius, quam potius Christianissimi accommodatae ad populare ingenium expositiones (§. 8). Fortassis vero haec ipsa appellatio errori illi ansam praebuit, de quo est actum superius §. 10.

## §. XVII.

Ut ut vero nihil facilius esse videatur, quam recte explicare, quid sit *Theologia DOGMATICA*: difficile tamen hoc separaturis eam, quod necesse est, a morali illa, accidit. Mihi quidem, ne examinandis praeter rem, aliorum definitionibus immorer, hunc in modum *dogmatica Theologia* definiri posse videtur, quod sit *scientia*, ex S. Scriptura hausta, de *DEO ejusque habitu ad hominem* lapsum atque a Christo iterum redemptum. Huic ex altera parte respondet *Theologia MORALIS* seu *ETHICA*, quae est *scientia* ex S. Scriptura tradenda, de *habitu hominis Christiani ad DEVUM* et ad singulas ipsius leges \*). Facile vero futurum praedio,

\*) Ex utraque, quam dedimus, definitione patet, quantum interfit inter Theologiam naturalem & revelatam. Et quod ad *Ethicam theologican* speciatim spectat, ex eo, quod subiectum ejus *Christianum* constituumus, haec et alia sequuntur 1) principium cognoscendi huic esse revelationem Christi. 2) Longe alia christianis esse, id est, & plura et majora officia observanda, quam quidem homini naturali, scil. emnia ea nova officia, quae ex *redemptione* fluunt, atque tam erga Redemptorem ipsum, quam respectu officii ejus mediatorii totius, et circa applicationem illius, quae fit Spiritus S. beneficiis, obser-

video, hanc meam utriusque disciplinae finitionem non omnibus  
aeque probatum iri. Igitur operaे pretium erit, paullo haec ex-  
pliciatius et curatius, sed tamen breviter, tractare.

## §. XVII.

Primum igitur repetendum mihi videtur, religionem christia-  
nam et *Christianismum* a Theologia esse distincta. Ab illa, quo-  
niam in recto de DEO sensu et vero illius per Christum cultu con-  
sistit, abesse officia, in S. Scriptura nobis praescripta, non possunt  
Tit. 1, 1. 1 Tim. 6, 3. 3, 16 (§. 2. 6) Hujus vero finis est, stabilire  
religionem christianam, et puram eam, sartam tectamque conser-  
vare adversus omne periculum, sive ab erroribus Christianorum,  
sive ab insidiis adversariorum imminens (§. 9.) Quae causa, quod  
dixi, accuratam et subtilem earum veritatum tractationem postulat.  
Quare recte omnino ac laudabiliter fecerunt, qui Theologiam mo-  
ralem separatim a Dogmatica singularibus libris, GE. CALIXTVM  
imitati, pertractaverunt. Ex hoc enim tempore multo, quam au-  
te, accuratius quaque pars Ethicae explicari potuit, quam olim

## D 3

unum obseruanda. In his vero omnibus idem est aliis hominibus praestandum,  
quo beneficiorum gratiae participes reddantur. 3) Aperitur denique novus  
obligationis fons. Ex his vero singulis appareat perfectio Ethicae christia-  
nae cum *extum intensiva*. Immo vero, quoniam in justo systemate omnes  
consequentes doctrinae a primis illis determinantur: sieri non potest, quin  
ipso articuli, ut vocantur, *mixti* (§. 45) longe aliam formam in Ethica chri-  
stiana induant, quam quidem in philosophica. E. c. Vetat quemquam lae-  
dere justum naturale. Addit Ethica theologica: cavendum esse etiam in par-  
vis rebus a scandalis, ne animus fide et beatitate a Christo parta privetur  
culpa tua Rom. 14, 13. 15. Vetat idem Paullus de aliorum pietate sinistre et  
duriter existimare, addita nova ratione, quoniam Christus sibi hoc servavit,  
judex omnium hominum a Deo constitutus v. 7-10. Calte corpus custodito:  
nam magis Christi, quam tua membra sunt. 1 Cor. 6, 15. Inhoneste nihil  
coram superstitionum cultoribus agito: nam non est religionis christiana  
cursus per orbem impediendus. Tit. 2, 5. Corpus ad libidines ne abjicito: nam  
futurum est, ut illud olim, quemadmodum Christi, glorificetur. Inimicum  
odio ne prosequitor. Nam et hunc, ut omne humanum genus, Christus  
amavit cet.

unum officium saepius attingendum erat, quoniam ex uno pluribus dogmatis sponte fluit. Sic v. c. amor aliorum & in attributorum divinorum doctrina et in loco de redēntione Christi debuit expōni. Jam cum separātū tractantur in Ethica, cujusque virtutis cum indoles tūm necessitas accurate et clare ostendi potest, propterea quod ex ante demonstratis naturali nexu inferuntur. Fuerunt tamen viri pii et cum honori religionis sanctissimae; tum vero etiam saluti ecclesiae et juvenum in primis studiosorum eximie consulturi, qui veriti, ne dudum explosa illa et prīsa Scholasticorum lis, tantis concertationibus agitata, num *Theologia sit habitus theoreticus solum, an etiam simul practicus?*) cum damno reip. christiana renovetur, faciendum sibi putarent, ut singulis a se in systemate dogmatico expositis doctrinis exhortationes graves ad pie recteque vivendum adjungerent. Quod inter Reformatos HOORNBECKIVM, de nostris vero SPENERVM, FREYLINGSHAVENIVM, BAVM-GARTENIVM aliasque fecisse constat. Et fieri potest formandi ecclesiae bonos utilesque doctores ratione hac nihil utilius. Verum quilibet intelligit, paraeneses has et quasi subitaneas ad sanctitatem exhortationes, multum differre a systematica, accurata et plena officiorum christianorum tractatione.

## §. XIX.

Arminiani contra Theologiam moralem, ut vel ex unius PHILIPPI LIMBORCHII *Theologia christiana* patet, cum dogmatica ita arcte combinant, ut posteaquam actum sit de S. S., de Deo ejusque operibus, de redēntione, de praedestinatione, sequatur uno tenore ac ordine caput de *praeceptis N. F.*; hoc excipiatur illud de promissis et minis N. F., concludat opus liber de ecclesia I. C. Quod, quo consilio fiat, non potest esse ei obscurum, qui sciat, in agendo eos maximam partem religionis christianaē ponere, ad credendum contra pauca suis commendare capita. Quod idem cum

\* ) Fusa hanc quaestionem tractat MEISNERUS in *Philos. sobr. P. I.* p. 450 ff. piás vero Patrum et suas meditationes ad fert HOORNBECK in *Theol. prat.* Tom. I. p. m. 31-35. Mihi quidem distinguendum videtur inter finem proximum et remotiorem non quidem Theologiae ipsius, sed eam tradentis Theologi.

cum alii coetus inter Christianos sentiant, non est mirandum, eamdem eos rationem in tradenda Theologia sequi.

## §. XX.

Cuperem vero maxime iis satisfacere de nostris doctoribus, qui hac aetate fines Theologiae dogmaticae contractos, moralis amplificatos volunt. Egit hanc eaussam nuper celeb. DOEDERLEINVS in erudita dissertatione de *finibus Theologiae dogmaticae et moralis*. Hos vero ita constituit vir Venerandus, ut ad Theologiam theoreticam s. dogmaticam referri velit locos de Deo, ejusque esentia, attributis, trinitate et operibus; de Christo, de gratia ab ipso nobis parta et de vita denique aeterna. Contra vero ea Theologiae practicae, seu morali illas omnes doctrinas vindicat, quae pertinent ad hominis cum interioris emendationem poenitentia et fide perficiendam; tum ad sanctitatem vitae externam officiis omnibus exsequendis declarandam. Facile largior, habituram hanc methodum illud maxime commodi, ut non opus sit, locos multos bis tractari, sic uti huc usque factum est, in utraque Theologia: idem tamen non intelligo, quam commode careat Dogmatica ampliori tractatione de fide, quam Iustificatio sequatur. Hac posteriore vero ne ad licentiam vitae abuteretur hominum levitas, ostendendum erat, non nisi *μετανοητας* et regeneratione totos immutatos fiduciam collocare in Christo posse: justificationis vero sanctitatem vitae et bona opera et necessarium effectum fructumque esse, et unum verae fidei iustificatricis signum. Brunt etiam fortasse, quibus providendum videatur, ne, dum caput de fide inter officia referatur, imbecillae mentes opinentur, ea, tamquam virtute, s. bono opere, salutem obtineri a nobis posse. Quae ut dixi modestius, ita ea cogitasse MOSHEMIUS videtur in Ethica Tom. II. p. 5. sq. Sed utcumque de hoc quilibet statuerit, salva res est christiana. Qui enim ea capita, quae ex Dogmatica in moralem Theologiam transferri vult doctissimus auctor, antea in ethica omiserunt, ducti ea ratione sunt, quod in definienda Ethica subjecti loco posuerunt Christianos, quos non alias intellexerunt, quam homines *μετανοητας* et vere fideles. Addam unum hoc cum Moshemio, qui de poenitentia vicinisque capitibus agant in Ethica, facere id posse

posse liberius, quod non ita adstricti essent auctoritatibus majorum agenda, quam credenda tradentes.

## §. XXI.

Sed mittamus haec. Perinde enim est, si quae terrae unius domino parent et reditus fundunt, sive illas ad hanc, sive ad aliam provinciam in tabulis tuis geographicis referas. Videamus potius de eo, quod caput est rei, explicationis veritate. Est autem *veritas* generatim spectata, rerum amica inter se conspiratio. Ex quo fit, ut cum cogitationes nostrae, atque adeo ideae, tamquam rerum imagines, judicia item ac ratiocinia cum rebus ipsis accurate convenient, haec justa similitudo *veritas logica* appelletur. Hanc notum est, in scholis cum a *metaphysica*, tum a *morali* distingui; siquidem per *illam* ea rei cuiusdam affectio intelligitur, qua habet ea omnia, quae ipsis naturae convenient; per *hanc* vero posteriorem confusio sermonum actionumque nostrarum cum cogitationibus nostris notatur. Quoniam vero translata a Geometrorum lineis voce, convenientia alterius rei cum sua regula, *rectitudo* et Graecis ἡρθοτης Ebr. 12, 13. vocatur; accedit, ut *ratio vera de rebus divinis sentiendi atque docendi*, *ORTHODOXIA* appellari dum siveverit. *Orthodoxus* igitur non aliud intelligi potest, quam qui verissime de re sacra sentiat \*).

Ex

\* ) Erudit ostendit *SUICERUS* in *Thef. T. II.* p. 507. Apofoli illud 1 Tim. 2, 15. ἐρθοτουεν, adhibitum a LXX pro ψω in Paullino loco et apud Patres idem significare, atque Graecorum ἡρθοδεσσαλεν, recte tractare sermonem. Quod interprete BEZZA est, quod primum ad doctrinam ipsam attinet, nihil praetermittere, quod dicendum sit: nihil etiam adjicere de suo, nihil multilare discerpere, torquere. Deinde, spectare diligenter, quid ferat auditorum captus; quidquid denique ad aedificationem conductus. Mira Philologorum somnia de ista ἡρθοτης barrat WOLFIUS in curis Tom. IV. p. 513 - 516. Quae huic ut vocant nostri, doctrinae puritati opponitur, ἡρθοδεξια, (§ 22) HENR. STEPHANO in *Thef. L. Gr.* Tom. I. p.m. 1035. proprie est tantummodo opinionis diversitas. Patrum igitur, Theodoreti nominatim ac Bafiliu auctoritate, appellanda esset *κακοδεξια*, quam tamen Suicerus omisit, ut alias multas voces.

Ex quo jam intelligi potest, quam sancta cuicunque esse debeat Orthodoxiae cura et tractatio et quam male veneranda haec appellatio, multorum vitio, qui rixandi libidini venerabile hoc nomen praetendebant, in ludibrium sit versa. Absit hoc. Nam 1) in omni, etiam quotidiano sermone verum loqui nos religio jubet 2) Ideo verissime de rebus divinis sentiendum est, quoniam a judiciis nostris pendet cultus Dei atque adeo ipsa numinis gloria, quam nemo amplificaverit, nisi recte de eo sentiens. Quoniam 3) una religione hominum vera felicitas absolvitur, nihil falsi in illa inesse debet, praesertim cum nullus error est tam levus, qui non aliquod vitium aut gignat, aut certe nutriat. Nam quemadmodum nihil sit sine ratione sufficiente: ita et vicissim nulla res aut veritas tamen parva est, quin, ut omnia in rerum universitate sunt sapientissime atque arctissime connexa: ita consecutione et effectu careat, habita nimis ratione universi systematis veritatum. Aequo minus igitur licet, simulate in Theologia agere, et, cuius rei facile exempla dare possem, iisdem quidem uti vocibus et formulis, sed diverso sensu. Quod in loco de divinitate Christi Socinianorum nonnullos facere palam est.

## §. XXII.

*Falsa e contrario et erronea de rebus divinis sententia et exposicio HETERODOXA appellatur.* Si quis vero eos errores, quibus falsus hominum aeterna impediatur, seu, quod idem est, vera in Christum fides tollatur, proaeretice et animi quadam malignitatis specie non modo meliora edoctus, mordicus et pertinacissime defendat, (quamquam hoc ipsum pertinaciam inter et constantiam, discrimen aegre ab hominibus definiri potest) sed etiam in vulgus iterum iterumque monitus, spargat atque adeo tranquillitatem ecclesiae turbet, vel potius, utriusque reip. salutem evertat: atro et invidioso HAERETICI nomine notatur \*).

jam

\*). *Aigoris*, electio, optio, decretum voluntatis, apud Graecos ipsumque Ciceronem, sectam seu scholam philosophicam notans, ab ecclesiasticis scriptoribus in pravarum sententiarum disseminatores invidiosius translata est, STEPHANUS d. l. p. 184. Neque tamen intellexerunt, ut SICERUS T.J.

jam laesae majestatis divinae reus agitur, qui quomodocumque eccliae, i.e. Antifititis Rom. absoluto imperio sententiis suis officere videatur. (I. H. BOEHMERI I. E. Prot. Tom. IV. L. V. Tit. VII. §. 4. p. 820 seq.)

## §. XXXIII.

Non prius vero recte accurateque de orthodoxia et, quae huic sunt opposita, vitiis, statui potest, nisi ambiguitatis evitandae causa haec probe discernantur, quae, quoniam vulgo a pletrisque permisceari (judicii, an animi errore? haud definiterim) solent, graviter peccandi materiam praebent. Sunt enim primo, qui dicant, heterodoxiam esse errorem circa fidem admissum. Jam vero duplex huic voci ab usu loquendi imposita vis est: aut enim fides pro rebus ipsis, quae creduntur, ponitur et tunc *objektive spectatur*; aut pro illa animi persuasione, qua quis partim simpliciter doctrinas christianas intelligentia tamquam veras amplectitur iisque assentitur; partim fiduciam in Christi merito collocat et veniae impetratae certus, placide acquiescit. Jam, quodsi quis Heterodoxiae insimulatur, necesse est, *de fide tantummodo objektiva sermo sit*, cum propter alias causas, tum propter duas has: 1. quia de fiducia animi interna nemo mortalium judicare potest. 2. quia fieri omnino potest, ut quis de nonnullis capitibus recte sentiat, de aliis perverse, nostro saltim judicio. Quae cum ita sint, vellem, abstineatur a voce vulgari *die Rechtglaeubigkeit*, adhibereturque potius graeca illa. Nemo enim non videt, ut, quum fidei omnia, quod necesse est & recte sit, tribuatur a Christianis: fieri non possit, quin

p. 120. notat, doctrinam orthodoxiae contrariam, sed contentiones et *oxigenuta*. Tandem vero omnes Haeretici vocati sunt, qui vel parum a iudicio catholicae religionis receperint. MOSHEMII synt. *Diff. ad sanct. discip. pertin.* p. 98 ff. Multa lectu digna ex antiquis ecclesiae monumentis adferit Suicerus, e. c. omnem cum illis sublatam fuisse vitae et sacrorum communionem, eorum libros legentes ultimo suppicio affectos, quamquam ipsorum vitae pars sum est. A qua tamen aequitate ita recesserunt, Augustini auctoritate depravati Christiani, ut crudelius in eos animadversum esset. Sed horret mens hanc historiae ecclesiasticae partem adeo pudendam, neque committam, ut dolorem bonis mentibus renovem.

plebeji homines hominem illum detestentur, quein audiant, a fide aberrare, aut perversae fidei esse. Mitiores aequioresque praebituri se essent, si *secus sentientem, ἐτρεπόστοντα*, esse comparent. Non ridebunt hoc, tamquam ineptias grammaticas, qui perpendent secum, quanta in utramque partem in judicia et sensus hominum in tritis sermone quotidiano vocibus, et maxime in Ethica, vis insit.

## §. XXIV.

Recte *deinde* facturus mihi videor, quodsi duo genera vere de rebus divinis sentiendi, constituero. Ut enim Theologia christiana, a religione christiana ipsa, seu ab uno illo salutis ordine, quem omnes sequi debent, distingui debet (§. 9) ita evidens est, vulgum Christianorum, immo vero ipsos eruditos, quotquot non omne suum tempus atque studium in Theologia perserutanda collocant, falsis opinionibus de his, quae Theologiae, dogmaticae in primis, propria sunt, imbutos esse. Et tamen nemo adeo durus est, ut, qui coetui suo nomen dederint, heterodoxos (Gerr glaubige) invidiosius appellat. Quare alia heterodoxia est *Christianissimi* (seu error talis, ut illo occoecatus neque poenitentiam agere, neque in Christum credere, neque denique pie vivere possit;) et alia vicissim est *heterodoxia theologica*. Quae, quia non omnibus aequre recte definitur, affundendum aliquid lucis erit, dicendumque non nihil de ea, cui opposita est, virtute.

## §. XXV.

Videlicet, quemadmodum veritas seu rectitudo generatim in convenientia cum absoluta perfectaque norma posita est: (§ 21) ita orthodoxyia *theologica* (§ 24) debet absolvī consensione cum omnibus regulis et legibus, quarum ope cognitio certa et vera eruitur, panditur, firmatur. Quare, quum Theologia sit scientia, seu coagmentatio veritatum divinarum docte systematica (§ 17) in systemate vero omnes enuntiationes debeant ex suis principiis justo ordine et nexus derivari: necesse est, ut plures veritates debeant in subsidium demonstrationis accuratae connecti invicem atque concatenari. (*per princ. log.*) Jam vero Theologia christiana ducitur

ex S. Scriptura; haec vero confirmat naturalem illam: (§. 1) *opus igitur est ad condendum sistema theologicum varia et magna rerum recognitione ac eruditione*, qua carere bonus probabilisque S. codicis interpres eo minus potest; quo remotior aetas illa est, qua sunt divina illa monumenta condita. Et quid multa? Ille ipse nexus tot veritatum ex fere aptarum, quae so te, quam subactum, quamque limatum multo usu & exercitatione ingenium judiciumque non requirit! Qua propter, quoniam non postulandum est, ut plures, praeter Theologos, de articulis illis antecedenter aut consequenter necessariis certa et indubitate scientia polleant: *recede videor orthodoxiam theologican ab illa christiana* (§. 24) *se junxisse* \*).

## §. XXVI.

Hanc ipsam tamen orthodoxiam theologicam necesse est, in internam et externam, et in medium aliquod genus, scilicet externe - internam dividamus. Et primum quidem facile est ad intelligendum, quid *interna sit orthodoxia*. Est enim nihil aliud, quam vera Theologiae scientia subjective considerata, seu de universo doctrinarum ambitu theologicarum, quae faciant ad ordinem salutis aeternae consequendae, perspicuum aptissimeque cum tra-

den-

\* Quemadmodum in mundo physico, ita etiam intellectuali, omnia sunt connecta. Male ergo gloriae Dei, qui utriusque *uros durasys* est, consulunt, qui alias disciplinas contemnunt, aut eos despiciuntur habent, qui illas operantur: quasi vero, ac si in oeconomia Dei tanta ulla res tam parva sit, quin toti inserviat. Quia propter, quantumvis minor sit in Dogmatica, quam in Ethica quidem, ob diversum articulorum purorum numerum, philosophiae usus: ea tamen Theologus non sine damno scientiae suae caruerit. Sed si qui ratione male abusus fuerit, in hunc illud Baconis dictum est: philosophia particulatum percepta, ducit ad Atheismum; plene vero hausta, ad verum Dei cultum. Nemoenim magis dubitat, quam qui non iusto ordine et nexus veritates cognitas habet, nec ut quaque demonstretur, didicit. Teneamus in primis hoc, nullum verae philosophiae cum Theologia diffidium esse posse; quamquam Aristotelicae potuerit: ex quo fluxit summa Italorum sophistarum Saec. XV impietas, quam et *SAVANOROLA* docte impugnat & ipse *LEO X.* fulmine confixit saec. XVI.

dendum, tum quoque defendendum, firma persuasio. Quoniam autem varii sunt hominum, pro ingeniorum externaeque conditionis diversitate, ut de aliis rebus omnibus, ita in primis de religione et Theologia sensus; salutis autem publicae interficit, non perturbari multitudinem rudem discrepantibus doctorum sententiis: igitur providendum erat sapienter, ut norma quasi quedam his proponeatur, qui publici doctores sunt constituti. Quam si quis in tradenda publice religione atque Theologia regulam sequatur, externe, et quidem ecclesiastice aut symbolice, oribodoxus est. Quid si et haec symbolorum coetus alicujus formulae in se verae sint; doctorque veritatem eorum, argumentis certis convictus, perspiciat et aliis etiam accurate proponat; interne - externa orthodoxia gaudet; seu est orthodoxus interne et externe simul.

## §. XXVII.

Quoniam DEVS, S. Scripturae auctor, numquam secum ipse dissentire potest: consequens est, ut nulla divini codicis oracula pugnare inter se queant. Et tamen non est insitiandum, esse permultos non historicos modo, sed etiam dogmaticos locos, quorum unus alterum tollere videatur. Quod ipsum tamen vere et re ipsa accidere posse, necesse est, constanter negemus; ad speciem contra crebrius fieri, affirmemus. Cogitur hinc, elaborandum esse interpreti docto et pio, ut vexata haec loca inter se concilientur; quod adjuto parallelissimi, ejusdemque non verbalis magis, quam realis ita instituitur, ut clarius alicubi enunciata, lucem obscarius conciliusque dictis affundere videantur \*). Cujus qui-

E 3

dem

\*) Quoniam ut quisque optime a philologia, judicio et omni erudita supellecile est instructus, ita etiam aptissimus ad explanandum S. codicem censendus fit: quidam autem inter hos, qui a nostro coetu alieni sunt quibusdam in dogmatis, his laudibus excellant: nemo cordatiorum negaverit, recte a nostris Grotio, in nonnullis etiam ipsi Clerico, multum tribui grammaticae interpretantibus et docte. Et fortassis ad veros sensus divinorum librorum eruendos nihil conducibilius fuerit, quam ignorare, cui familiae bonus hic vel ille interpres nomen dederit. In quo Glassii nostri, incomparabilis

dem feliciter stabilitae concordiae sexcenta exempla ex doctorum virorum singularibus libellis, si id opus esset, referri huic a me posse, ad illustrandum id, quod breviter de *analogia S. S.* hoc loco dictum est. Ab hac vero probe distinguenda est *analogia*, quae dicitur a Theologis, *fidei* ejusdemque *objectivae*; eamque dicunt esse doctrinarum singularium inter se aquabilem conspirationem, qua una alteram ex se gignat, sustineat, confirmet; totum vero sapientiae aedificium ita descriptum sit similem ad rationem, ut tot diversae illius partes *VNV M* aliquod, sua simplicitate & consensione, pulcrum, efficiant. Cujus quidem proportionis observatio difficultior est, quam plerisque videtur. Ea enim cavenda est omnis contradictionis vel levissima species. Ut enim fallere ac mentiri plane non in *DE VM* cadit: ita etiam erroris certum indicium est, si quac secum in eodem libro pugnant apertius. Quod ne in Theologia nostra accidat, *ἀναλογία* loca de libero arbitrio, de persona Christi, de justificatione ex sola fide, de bonis operibus, de vocatione universalis et rel. sunt describenda, ne, quod hic stabilitum sit, mox iterum subvertatur, aut ipsum alii doctrinae, aequa certae officiat. Cum igitur Theologia tota ex Scriptura S. derivanda illique adaequanda sit: consequens est, ut *analogia fidei* sit metienda ex *analogia Scripturae*, minime vero haec, opposita ratione, illi fit accommodanda \*). Quod qui faciunt, Theologiam nostram inferre

in

bilis prorsus viri, prudentem dexteritatem saepe ita soleo mirari, ut eadem lege auctam auream ipsius Philologiam S. recentioribus interpretationibus vehementer cupiam.

\*). Quo gravissima haec observatio melius intelligatur, illustrabo eam illo exemplo, quod simul faciat ad explicandum §. 60. Repte tradebat Lutherus, hominem ex sola fide, sine operibus legis justificari. Quoniam vero haec Pontifici semp̄ crepabant, fortassis durius interdum inter pugnae ardores de B. O. pronuntiatum est. Et magnus quidem vir Pauli auctoritate se tuebatur; hi contra Iacobi et iis omnibus oraculis, quibus ita Christianis sanctitatis et B. O. studium commendatur, ut impiis spes omnis beatitatis futurae praecidatur. Quare quam Romanenses Lutheranos tamquam improbitatis patronos, in invidiam vocarent; multi vero Lutheri sententia ad li-

centiam

in divinum codicem, non vero, quod deberent, ex hoc repetere jure meritoque dicuntur. Quod vitium saepius objectum est doctoribus Theologis, jurene an injuria? non est hic decernendi locus.

## §. XXVI.

Quae ex his prono, ut spero, alveo fluant, nihil obstat, quoniam minus ostendamus. Sunt autem haec fere eorum praecipua. Primum est: *orthodoxia christiana ad pauca illa capita se refert*, quae sunt in S. Scriptura clarissime de D E O, de Christo redemptore, de poenitentia, fide, sanctitate ceterisque primariis doctrinae Christianae locis enuntiata.

## §. XXIX.

Alterum: *Orthodoxia e contrario theologica latius multis modis christiana, patet, ac interna quidem nulli extorqueri potest.* Id quod

centiam vitae abuterentur; accedit, ut Melanchthon crebrius necessitatem B. O. ad salutem commendaret. Nemo tamen de definita hac quaestione curatius, cogitasse prius videtur, quam cum gravis oriretur G E. MAIORI Philippi, et NICOL. AMSDORFIO, Lutheri discipulo v. WALCHII *Religiousstreit d. Luth. Kirche T. I. p. 100 ff.* Tunc enim primum conciliatio Pauli cum Iacobo ita tentata est, stque adeo ipsius S. Scripturae, ut patet, Paullo maxime cum Iudeis, ceremoniarum Mosaicarum observatio ne superbiensibus, (quamquam et legem moralem non omnino excludit Rom. 2, 13. 23. 3, 20. 31. 7,7.) Iacobo vero cum libidinose viventibus Christianis rem suisse. Recte deinde definitum est, electios Pontificiorum aliorumque cultus non posse D E O placere; neque tamen alia nos fide posse justificari, nisi quae vera sit h. e. quam odium omnis peccati, studium contra sanctitatis strenuum sequatur. Atque hac explicatione id consequentes doctores nostros sperandum est, ut haud amplius queat nobis negligenda pietas a Pontificiis et aliis objici v. LIMBORCHII *Theol. christ. L. V. c. 79. §. 9. p. 656* Sed certe non habent, cur Pontificii doctrinam suam virtutum omnium matrem appellant, cum propter levia de veris B. O. iudicia; tum etiam propterea, quod et fidem in nudo affensu, immo implicita notitia ponunt, et sua de duplice justificatione sententia totum saluis ordinem turbant.

quod invictissimis argumentis dudum est a Protestantibus aduersus Romanensium injurias et crudelam impietatem demonstratum. Immo vero ut sciri queat, quis sit haereticus, (quod tamen ab hominum nemine, sed a solo animorum judice, DEO, sciri potest,) tamen non esset in eos, tamquam in latrones & perduelles, armato milite et carnificis cruciatu saeviendum Rom. 14, 23. coll. 1 Cor. 2, 15. Multo igitur minus in eum, quem *interne heterodoxum* suspicamur, gravioris quid est statuendum. (§. 22.) Quod eo minus ab impietate abesset, quoniam fieri potest, ut quis circa fidem *objectivam* erret, et tamen *subjectiva* gaudeat et vere in Christum credat. (§. 23. 24.) Sic sancti fratres putabant, beneficia N. F. ad solos Judeeos pertinere, nec posse gentiles gratiae Dei prius participes fieri, quam circumcidit se se Mosaico ritu passi fuissent Act. 11, 2. 15, 1. et epist. ad Gal. Immo vero multi inter Corinthios de resurrectione mortuorum, de *ελωθιστοις*, de necessitate ritus Mosaici, de S. Coena et de aliis, nihil gravioribus rebus magni momenti errores fovebant. Et tamen Paulus epistolam inscribit τη̄ ἐκκλησίᾳ τε Θεού, τη̄ ἐπη̄ εν Κορινθῳ, ἡγιασμένοις εν Χριστῷ Ἰησού, κλητοῖς ὀρθοῖς, gratiasque agit DEO de χριστῷ Θεῷ τη̄ δοθεσθη̄ αὐτοῖς εν Χριστῷ Ἰησού. Cap. 1, 2. 4. Magno sane evidenter in quoque argumento, quam liberalis sit mens et natura evangelii, et quam longe ab illo servili et acerbe superbo Pontificiorum imperio remota! Ipse vero deinceps Augustinus et alii his, quorum ecclesia dogmata damnaret, vitae laudem pie instituta tribuebant (v. testim. in ARNOLDI erster Liebe L. VIII. c. 23. §. 6. 9. p. 1043.) Et quid multa? Gravi praejudicio laborabat Nathanael. Et tamen amabat eum a mentis candore Dominus Io. 1, 4. 6. 47. Hujus tamen similes quis sexcentos in omni gente ac genere hominum esse, negaverit?

## §. XXX.

Quid? quod quemadmodum aliquis Orthodoxya christiana gaudere, theologica carere potest (§. 24.): ita multo minus mirandum est, homines, immo totos coetus, se se invicem pro heterodoxis habere. Nam quamquam facile factu multis videtur, definire, quodnam Christianorum sistema sit verum, i. e. S. Scripturae

CON-

convenientissimum: tamen quoniam summa rei reddit ad interpretationem illius; hujus autem justa in quoconque loco explicando ratio a multarum aliarum rerum momentis pendeat: anceps saepius cenferi debet, utra alteri interpretatio sit preferenda? Ex quo consequitur, ut nihil quidem negotii sit, in se ac simpliciter decernere, quid vera sit orthodoxia; arduum vero, in quaunque proposita quaestione id sine ulla dubitatione et secundum veritatem tamen, definire. Quae cum ita sint, non est gravius illis irascendum, quibus nostra orthodoxia, opinata saltim videatur: praesertim cum ipsis vicissim jure nostro utamur, idem ferendo de illorum pecularibus sententiis ac κυριος δογματος judicium.

## §. XXXI.

Hoc tamen non eam in partem rapi debet, ac si plane definiri nequeat, in quamnam parte militet veritas, quaeque Christianorum secta ceteris sit magis cum ὁρθοδοξίᾳ consentiens. Ut sunt enim universim certa veritatis signa: ita etiam satis est, si capita doctrinae christianae evidenter testimonii S. Scripturae nitantur. Reliquae enim partes, five articuli secundarii, cum per eas principes doctrinas determinantur: ita quam recte de iis statuatur, a perspicacibus viris non omnino infeliciter definiri potest: licet, ut verum fatear, magis monendum sit, quid multis in locis non sit putandum, quam quid definite sit praeciseque de aliquibus quaestionibus praecipiendum; ex quorum genere sunt in loco de gratia, ut hoc utar, plures, et nominatim de vocationis ordinariae, ejusdemque proximae universalitate. Haec enim et alia ea cautione ac religione tractanda sunt, ut non pudeat Theologos ingenuos, reverenter fateri, esse haec ἐκ τῶν διεντόνων, a quibus ipsa non sint libera Pauli, immo reliquorum Apostolorum scripta. Quod sane consultius est, quam repugnante alia certiore cognitione, aliquid definire in re, a nostra mentis acie tam longe et alte remota, eoque vero ipso concertationibus Christianorum occasionem et materiam inutiliter suppeditare \*).

## §. XXXII.

\* ) Quoniam orthodoxiam ecclesiasticam ex convenientia cum libris symbolicis metimus, facile num ea quis gaudeat, perspectu est, non item vero. an

## §. XXXII.

Quoniam inveniendae confirmandaeque veritatis universim non aliud datur efficacius ac certius subsidium, quam ut illa disputando commentandoque in omnem partem versetur: *non sunt nimis, quoad orthodoxiam externam ecclesiasticam, (§. 26) publicis legibus, quasi vinculis, constringenda doctorum et piorum ingenia Theologorum.* In scholis quidem, quas futuris coetuum pastoribus aperunt, id fieri fas est. In libellis vero academicis aliisque eruditis disputacionibus e re veritatis provehendae fuerit, id non cogere inconsideratus aut durius. Quo magis laudanda est ecclesiae nostrae fide indulgentia, fide prudentia, quae finat impune, aucta hac litterarum omnium in dies luce, Theologos doctos in interpretanda S. Scriptura aliisque, nihilo gravioribus quaestionibus, ab auctoritate patrum nostrorum, ipsoque summo et immortali doctore Luthero, aliquantisper dissentire \*). Ecclesiasticis vero doctoribus recte et utiliter

quis orth. *theologica* polleat. Nam haec nititur recta universi codicis S. interpretatione. At vero nemo Theologorum hoc sibi sumserit, se semper & ubique verum vidisse et ostendi potest exemplis, summos olim Theologos hunc vel illum locum secus intellexisse, quam fortassis post ea intellectus melius fuerit. Sic v. c. saepius in dictis probantibus factum esse, historia dogmatum probat. (v. ex. in BAUMGART. Erlaut. der symb. Schr. § 56. ad Gal. 3, 24. § 57 ad Iobi 9, 28. § 68 ad Ez. 20, 25 §. 83, ad Matth. 16. § 18. crebrius vero et gravius in interpretando lapsum esse Gerhardum in locis suis theol., doctissimus editor, Ven. Cotta, docet).

\* ) Sine hac enim libertate in omnem Theologiam, maxime autem in veros sensus S. S. inquirendi, (quam nuper ornamentum ecclesiae nostrae, ERNESTIUS tam graviter afferuit in progr. *de libertate ingenii in causis religionis*) minus, quam sumus, superstitionibus et vanis opinionibus soluti essemus. Superiori aetate, ut rem exemplo illustrem, omnia fere mala maligno genio auctori tribuebantur (Erb. Mosheim. I. 416 ff.) ipsaeque in vestitu decorae mutationes v. *Theatrum diabolorum, s. Samlung vieler Schriften von dem Teufel und seinen Versuchungen* Francof. 1569. et *Muscili inventivam in diabolum braccatum ap. ARNOLDUM* in Kirch. u. Ketz. hist. T. II. L. XVI. c. 16.

liter *symbolica orthodoxia* in rebus, ad Christianitatem pertinentibus imperatur, de rebus ad forum theologicum proprie pertinentibus pro cathedra sacra disputandi, libertate ademta.

## §. XXXIII.

Ut vero Orthodoxya theologica non 'immediate, sed remotius tantum', ad fidem illam salvificam spectat, (quae vero proxime ex orthodoxya christiana nascitur): ita etiam illius laus non in eo sita est, ut *infallibilitatis nostrae speciem* aliis quomodo cunque persuadeamus: sed hoc potius valere inter nos deberet, ut, quo quisque magis studium cum in descendis linguis emetiendoque universo eruditiois campo, tum vero in penitus cognoscenda, limanda, corroboranda atque exornanda Theologia consumeret, eo haberetur Theologus ὁρθοδόξων. Quod secus tamen, multis in litibus factum est. Cujus hominum generis placet descripta a BVDDEO in

F 2

Theol.

§. 8. p. m. 188. Quam multa ipsi adscripsit BAXTERUS, patet partim ex ejus *Wegweiser zur christlichen Sittenlehre* (Francof. 1693) p. 204-254. partim *Gewissb. der Geijster* (Norimb. 1755). Quibus sententiis quum fides fieret pro concione sacra variis tragicis & horrendis vel auditu narrationibus: accidebat, ut et piae mentes, natura tristiori concusfae, trepidarent, et protervi homines audacter culpam criminum suorum in Satanam conjicerent. Nemo vero non intelligit, loco de potestate Satanae minus accurate tradito, periclitari moralitatem actionum (*Eth. Morbem.* Tomo VI. § 27 & 28 p. 586 ff.). Altera, eaque maxima, quae honestam hanc libertatem suadet, utilitatis ratio esse debet spes minuendarum concertationum cum aliis Christianorum coetibus, (§ 12). His enim saepius clariore et rectiore formula medicina parata fuit v. Koehlerus in *Abbildung einer Friedenstheologie* §. 17-19. Posita vero hac libertate, consequens est, ut inter ipsos Protestantium Theologos *controversiae* oriantur amicæ, quae profecto tantam habent vim ad acuenda limandaque omnis generis, et maxime sacra studia, ut non tollendae, sed tantummodo moderandæ illæ sint a Principe. Idem censeo de *Theologia polemica*, ex cuius studio magnus usus in nos redundabit, quodsi pia & veri amante mente ponderemus sententias adversiorum, et, si quid veri in illis insit, (quis enim plane caecos dixerit eos, qui sunt a disciplina nostra alieni?) id reverenter nostrum faciamus.

*Theol. dogm. Instit. p.m. 53.* imago: „quod si quis non tam scripturae S. dogmata, eaque ad salutem necessaria, quam aut ingenii sui commenta, aut ecclesiae ejusdam, vel sectae placita, scripturae testimonio destituta, nullaque ratione scitu ad salutem necessaria, primo quidem sibi, aliisque vera esse persuadeat, tum aliis obtrudere quovis modo annitatur, secusque sentientes eum haereticos pessimos insectetur, inde ut orthodoxiae gloriam referat; eum quidem gravissima voce hac abuti, nemo sane mentis dubitaverit.“ „*Opinatae scilicet* (§. 30) immo vero *fastuosa* ac *imperiosae* orthodoxiae hos propugnatores verius, quam evangelicae dixeris, quibus quin veritatis omni ex parte venerabilis, nota desit, propemodum non est dubitandum, quia omnis veri amor a virtute et animi altitudine proficiscitur; Christi autem vere percepta doctrina non possit esse non verae sanctitatis, et DEI hominumque amoris effatrix et quasi nutrix.

## §. XXXIV.

\* Qui ergo Theologos, pio consilio in doctrinas receptas inquirentes et fecus de rebus quibusdam minus capitalibus, quam communia decreta volunt, sentientes, conviciis statim profundunt, peccant 1) in amoris legem *Luc. 6, 37.* 2) in veritatis jura & incrementa, disputando & libere inquirendo unice limanda ac confirmanda 3) in ecclesiam et remp. humana, cuius salus a veri & eruditiois certa cognitione pendet 4) in jura conscientiae 5) in Deum partim violando ipsius jura in religionem & conscientiam; partim impediendo providentiae consilia, quae sensim artes ad perfectionem evehit. Neque tamen sapiens haec & naturalis *libertas cognitandi* cum petulantia hominum, quaevis somnia libidinum in vulgus spargendi confundenda, quae omnino coerceri ob tranquillitatem debet. Vera autem libertas, quam commendo, in hoc est posita, ut copia fiat Theologis pii, doctrina sua et perspicendi facultate in indagando eo, quod re vera nobis Deus per S. Scripturam tradere voluerit, utendi *Io. 5, 39.* *Act. 17, 11.* *Pf. 1, 1, 2.* Iuvabit vero, ut hoc obiter addam, quemque, eorum hominum, qui fastu suo & dominandi libidini abrepti, de rebus divinis sensus suos cordatis viris imperant, in Ithacio et Idacio imaginem intuieri eximia arte expressam a **SULPICIO SEV.** *Hst. S.L. II. c. 50 et 51. p. m. 310.* edit. Hofmeist.

## §. XXXIV.

Sed antequam de hoc loco abeamus, erunt fortasse, qui quærant, quemadmodum eorum tranquillitati consulendum existimemus, quibus, quum ad orthodoxiam externam sese obstrinxissent religiosissime, interna tamen desit (§. 26)? Quibus facile iis, quae huc usque disputata sunt, satis esse factum puto. Addi ergo id unum debet, quod, quantumvis bono animo quis possit et reverenter in D E V M et veritatem, a recepta in coetu suo sententia dissentire (§. 29) modo haec dubitatio atque dissensio fidem subjectivam non impedit aut subvertat: abstinentem tamen esse ab opinionum suarum divulgatione ob eam gravissimam caussam, quod ecclesiae sponte sua sancte spoponderit, se ex ipsius formulis vel Christianitatem, vel Theologiam; illam fidelium coetui, hanc in scholis academicis, esse professurum. Jam vero ecclesiam, tamquam societatem, jure collegiali, immo naturali, rei pacisque publicae caussa cum ministris suis de doctrinae publicae forma pacisci posse, immo debere, nemo infitias iverit. Et, quoad dubitanter tantummodo de suis singularibus opinionibus ipse statuat, non video, cur non etiam his oppositam, coetus sui sententiam, neque honori S. S., neque saluti auditorum noxiā, tradere publice possit, penitus interea illis examinandis, intentus? Quodli vero errare, & graviter quidem errare ecclesiam, cui huc usque nomen dederit, censeat, generoso privatae rei contemtu, munus mutandum est, ne, dum a veritate morali (§. 21) abhorrire ipse sibi videatur, hypocritam DEO & se conscio, agat. Ipiā vero discessio, omni modo cavendum est, ne cum ecclesiae perturbatione fiat, i.e.

cum acerba impugnatione doctrinae alicujus symbolicae.



## CAPVT ALTERVM

DE

ORTHODOXA THEOLOGIA ETHI-  
CA IN SPECIE.

## §. XXXV.

**H**is vero universum de doctrinae rectitudine expositis, commo-  
dum jam erit, et de orthodoxia in Theologia morali tra-  
ctanda paullo curiosius sentire, et omissis multis, quae ipsi  
cum dogmatica illa communia sunt, in his unice elaborare, quae  
sunt huic disciplinae propria. Ad hoc vero ut in se grave, ita no-  
bis perjucundum negotium, nobis accincturis non verendum est,  
ne de novitate et insolentia consilii querant alii. Scimus enim,  
in hac ornanda altera Theologiae provincia, minus, quam par est,  
patres occupatos fuisse, defendendae illi, quam theoreticam seu  
dogmaticam vocant, Theologiae inter tantas et quotidianas cum  
Pontificio agmine in primis, dimicationes pugnaque furores alios-  
que labores uni fere intentos. Quae enim hinc Antinomorum, il-  
linc Romanensium retundendorum caussa in loco de lege et de bo-  
nis operibus ad describendum virtutis christianaे ambitum adde-  
bant, non ita absoluta erant, omnibus ut quaestionebus de officio  
hominis christiani satisfactum debeat censi. Quapropter et *casus*  
multi singulares, ut vocant, conscientiae a Theologis dogmatum  
tractationi hinc et inde, saepe incommodissimo loco, intexeban-  
tur, immo ipsis catechesibus; et nova adhuc Theologiae species,  
*casuistica*, seu *conscientiaria* informari coepit, quae ad ipsa dog-  
mata theoretica extendebatur. (v. RECHENBERGII Disp. de fundam.  
Et norma decid. casus conc. Lipsl. 1706. hab.) In qua amplificanda  
eos quidem multos et operosos fuisse certum est, an vero quisquam  
ante SPENERVM felix? quaeri non indocte posset.

## §. XXXVI.

Sed deslegendum est sermo ab his, quae facile in eum cam-  
pum nos deducerent, in quo possit disputatio nostra currente cala-  
mo

mo vagari longius, quam ferat vel instituti ratio, vel lectorum patientia. Et primo quidem quid sit THEOLOGIA MORALIS, (quam *Ethicam* in sequentibus compendii causa appellabimus,) supra jam §. 17. dictum est. Est scilicet ea *scientia de omni actionis internae externaeque Christiani hominis, in quacumque conditione considerati, ad normam S. S. dirigendae officio.* Brevius fortasse alii dicerent, esse artificiosam doctrinamque tractationem sanctitatis Christianae moderandae.

## §. XXXVII.

Nobis quidem, aliis aliter finientibus, satis fuerit, paucis planum fecisse, nostrae finitioni nihil eorum deesse, quibus natura Theologiae moralis declaretur. Et primum quidem quod *scientiam* eam esse diximus, recte fecimus, distincturi eam a *paraeneticō, ascētico & cōfūsticō* sanctitatis moderandae genere. Theologi enim munus est, veritates revelatas justo suo ambitu complecti, describere fines earum et relationem singularum ad se invicem et ad universum Theologiae corpus; lartas denique teatasque ad unam omnes conservare atque defendere (§. 9. 27.). Quae quidem variae et magnae utilitates non alio melius docendi genere, quam systematico continentur; cuius quippe est, singulas propositiones ex certis indubitateque principiis derivare, derivatas vero tam arcte inter se nectere, ut concatenatis concūsionibus, singulæ posteriores ex prius demonstratis certo cognoscantur. Quod genus docendi quemadmodum liberius ad honestissimam delectationem attemperari queat, jam dixisse me memini (§. 15.) *OBIECTVM personale* nostra in definitione est Christianus, solus ad exsequenda officia tam sancta divinitus instructus atque idoneus; *Ethicæ contra Philosophicæ* est homo simpliciter. Aliis vero, ut SCHMIDIO et post eum, ipsi MOSHEMIO, immo pluribus fortasse, placet constitutere Th. moralis *Subjectum operationis*, hominem vel ad vitae sanctimoniam perducendum; vel perductum jam, in ea confirmandum. Quod qui faciunt, hos oportet, Theologiae moralis limites migrare et in Dogmaticae illos transcendere (§. 20.). *OBIECTVM REALE* quin actiones Christianorum morales, i. e. libere

libere ad leges cum naturales, tun maxime in Scriptura S. revelatas, determinabiles, eaeque vel internae, vel externae, rite constitutae sint, nemo dubitabit. *Morale enim omne dicitur, quidquid (naturali quippe et necessario oppositum,) a decreto voluntatis nostrae pendet, atque adeo rationem habere ad legem, nobisque ideo, tamquam delectae inter plures actionis auctoribus, jure imputari suis cum effectibus, tam internis, quam externis, potest.* Quoniam vero actio vel conformis, vel difformis legi, cum hac comparata, esse intelligitur; necesse est, ut cum moralitate conjuncta sit vel *rectitudo*, vel *pravitas* actionum; ex qua hae quidem vel *bonae*, vel *malae* appellantur.

### §. XXXVIII.

Sed quoniam tota Theologia moralis in dirigendis Christianorum actionibus occupata est, de his est aliquid praecipiendum accuratius. Tenendum igitur est, hominem *spontanee* agere dici, quatenus nulla externa, eaque ineluctabili vi, coactus, se ipsum ad agendum determinat. (*Actio* vero generatim philosophis est mutatio status nostri sive interni, seu externi, a nobismet ipsis profecta.) Jam nemo agit citra caussam aliquam aut finem, quem agendo consequi studeat. Ejusmodi finis animo propositus, dicitur *motivum*, et quoniam voluntas hominis est, ut cum Scholasticis loquar, facultas boniformis, i. e. nihil appetens, nisi sub specie boni, seu veri illius, seu apparentis: consequitur, ut omnia motiva vel a bono aliquo impetrando, vel a malo removendo sint petita. Has vero actionum nostrarum consecutiones qui connectere cum ipsis potest, *obligare nos* dicitur, et *perfecte id* quidem, si non in mera notiorum representatione subsistat, sed effectio ipsa sequatur.

### §. XXXIX.

*Bonum* generatim omne est, quidquid perfectionem ex se gignit et promovet, seu quidquid finibus tam facultatum nostrarum, quam rerum aliarum, a D E O, universitatis auctore intentis, vere consentaneum est; aut quod denique ex perfectione aliqua enascitur. Et speciatim *theologice bonum* illud vocatur, quidquid cum finibus

finibus Dei, nobis patefactis, omnibus conspirat (§. 4), et quatenus illud bonum ex revelatione, auctoritate atque amore Christi perficimus, dicitur *theologice bonum sensu christiano*. Jam, cum edocti a Christo, sciamus, velle DEVM, ut nos totos nostraque omnia ipsi consecremus: Rom. 12, 1. 1 Pe. 1, 15. 16. actio dicitur *sancta*, quae ex studio divinae gloriae per Christum illustrandae, proficiscitur. Atque haec est mere *interna*, si in animi cogitationibus atque volitionibus subsistit; *externa simul*, si per harmonicos membrorum motus quasi foras se prodit \*). Tertium enim genus actionum *externe solum sanctarum* non datur, quoniam omnis Christianitatis vis et pulchritudo in omnimoda ac integra confessione cum voluntate DEI, a Christo nobis explicatae consistit, omnemque mentitiae pietatis simulationem abhorret; estque illud Servatoris tamquam generale quoddam principium religionis a se traditae habendum: πνευμα ὁ Θεος καὶ τες προσκυνεύτας αὐτον, εν πνευματι καὶ αἱληθεᾳ δε προσκυνεύτω.

## §. XL.

\*) Quemadmodum ipsa DEI *santitas* in absolutissima omnium perfectionum & attributorum, atque adeo etiam omnium decretorum et operum suorum confessione consistit: Christianorum vero una & maxima perfectio & virtus sit, Deum imitari: rectissime, at fortassis aliquibus obscurius, dixisse, *Sanctitatem* conspiratione variorum in nobis omnium, cum promovenda gloria Dei, a Christo nobis placati iterum, absolvit. Iam, quae sint illa varia, Philosophus te doceat, praecipiens, quam eximie utilia sint imaginatio, acumen ingenii, ipsique affectus et quam vehementi odio, v. c. amore Dei incensus, odisse queas vitia, irasci injuste et turpiter actis cet. Qua propter non est laude sua fraudanda definitio HUTCHESONII et FORDYCII, quando virtutem in eo usu omnium voluntatum, inclinationum et affectuum ponunt, qui recte fese habeat cum ad fines naturae nostrae et aliorum, tum ad necessitates nostras, cum iusta sub rationis imperium subjectione. Quod vero de interna externaque sanctitatem monuimus, addendum erat propter Scholasticos et Mysticos, quorum utrius alterum neglexerunt; *hi* quidem externam, *illi* internam sanctitatem. Quam jejunè vero de Sanctitate ipsa Pontifici sentiant, palam est, quibus ea fere omnis in electiis cultibus externis & in reverentia ac opum profusione in sacrum ordinem ponitur

G



## §. XL.

Nemo vero dubitabit, actionem bonam et sanctam eo esse perfectiore, quo quaeque sit liberior, id est 1) quo pluribus majoribus que motivis ad illam suscipiendam sumus provocati, 2) qua clariore et certiore eorum motivorum conscientia illam suscepimus. Ex quo consequitur, ut opposita ratione actio quaepiam sit eo minus perfecta, quo magis est vel ex sola consuetudine, vel bonitate quadam naturae, vel ex imitatione aliorum profecta, atque aut cum nulla, aut saltim obscura bonitatis illius internae conscientia a nobis suscepta.

De gradibus ceterum bonitatis sanctitatisque actionum nostrorum hoc loco id unum per quamdam προσόντων praecipimus (§. 61), esse eam metiendam ex majore earum cum regulis et legibus omnibus conformitate, ut 1) cum quo pluribus regulis nostrae actiones consentiant, 2) quo magis illae, quoad omnimodam determinacionem conspirent et 3) quo plures ejusmodi tam *extensive* quam *intensive* bonas actiones propter Deum suscipiamus, eo sit ipsa sanctitas praestantior.

## §. XLI.

De fine nihil in definitione nostra putavi addendum. Id unum autem hic moneo, confundere mihi multos in eo definiendo videlicet scopum Theologiae moralis cum sanctitate ipsa Christianorum. De qua tamen re nolo longus esse praeter rem, mente mea jam satis clare in §. 9. 10. explicata. Verbo res confici potest. Finis Theologi est, definire et stabilire Christi doctrinam de sanctitate; *christiani*, discere, quomodo in omni vitae statu, prospero et adverso, sive solus sive in relatione ad alias res, et in vario cum primis societatis genere gerere se debeat erga DEV M, se, & alios, quo felicitate a Christo sibi parta, non excidat, sed illa certo aliquando certius triumpho pleno de se et de omnibus vitae sanctae periculis reportato, portiatur. Docta autem Ethicae cognitio hanc praesertim piis omnibus utilitatem praefat, ut convincere se ipsi queant, recte se egisse. Recta enim verisque regulis nixa conscientia unus fons est stabilis tranquillitatis illius. Scopus denique utrique cum docto-



doctori, tum discipulo praefixus esse debet *ultimus* gloria Dei, ad quam se illi priores habere debent ut intermedii fines.

## §. XLII.

*Orthodoxia vero ETHICA THEOLOGICA* non alia, quam regulis veris omnibus exacte conveniens, Christianorum ad sanctitatem institutio, intelligi dicique debet (§. 25); et is demum ad orthodoxi Theologi moralis nomen et laudem recta via adspirare censendus est, qui non modo bonarum, sed etiam sanctorum actionum (§. 39) absolutam suis numeris imaginem informare, nec quidquam eorum praetermittere studet, quae ad hoc decus consequendum adjumento bene cupientibus esse possunt. Fateor, non expressam hujus *orthodoxiae ethicae* in N.F. mentionem fieri: sed pertinet haud dubie ad illam ὑγιεινὴν διδασκαλίαν, quam Paullus tantopere 1 Timoth. 1, 10. 6, 3. 2 ep. 1, 13. et Tit. 2, 1. commendet; nec quisquam jure me reprehenderit, quodsi ex Matth. 5, 20. necessitatem illius inferam, ubi falsis principiis regulisque nixam Pharisaeorum morum doctrinam & praxin reprobaturus, suis ait Iesus: *nisi iustitia Scribis & Phariseis excellueritis, non estis in caeleste regnum ingressuri.*

Habet vero Ethicus quaedam cum quocunque doctore communia, quae hanc ipsam ob caussam ut trita & vulgaria, non debent a nobis copiosius, quam necesse est, pertractari. Et tamen non olim modo sunt a plerisque neglecta, sed etiam hodie adhuc a multis negliguntur. Debet videlicet bonus magister 1) accurate res fere quasque *definire*. Itane? ais. Etiam quotidiano sermone nota omnibus? Immo et id quidem hanc ipsam ob caussam, quod sunt termini familiares, qui non possunt non instabiles fluctuantesque fieri, quoniam per omnium ora, etiam imperitissimorum, vagantur. In promtu sunt exempla *demissionis* animi, modeste de se sentientis, quam male reddere solent latine *humilitatem*. *Castitas* Romanensibus vocatur abſinentia a conjugio, et quoniam illa virtus in summa laude est posita et in S. in primis Scriptura: ita facile plebeculae suae persuadent, caelibe vita nihil esse divinius. *Abnegationem* non aliam ob caussam plerique ita horrefescunt, quam quod

ea audita, cogitant sibi mortem, ut veteres illi olim, philosophicam et perpetuam. Idem accedit voci *aedificatio spiritualis*, quam ita multi intelligunt, ac si non nisi de caelestibus sermo quotidianus esse debeat. Sileo *devotionis* (der Andacht) vocabulum, ut alia multa, quibus promiscuus usus longe aliam, quam Evangelium, potestatem subjicit. Alterum probati doctoris manus est, officium quodque, quasi terminis sepire, ne analogiae noceat doctrinae (§. 27) quod si obseratum esset semper ab his, qui magistros caelestis sapientiae sele profitentur, non futurum fortassis fuisset, ut vel bona ipsae mentes de severitate necessitatis illius, Christi discipulis impositae, amandi inimicos suos, fuissent conquestae. Quae lites de veritate dicenda inter Batavos motae fuerint, nolo commemorare, quoniam haec & alia exempla in opere Moshemiano tractantur curatius. Quae vero ita suis limitibus sunt circumscripta, debent etiam 3) firmiter demonstrari et ex suis caussis deduci. Id quod cum in aliis officiis, tum nominativum in loco de *martyrio*, de necessitate restituendi ablata aliis cert. praestari oportuit; partim ut non nisi vera officia Christianis imponantur; partim ut de justitia ac aequitate eorum certi, tanto libenter ea exsequantur, quam bene humano generi morum praeceptis suis Christus consuluerit, intelligentes \*). Sed quoniam non modo persuaderi debet veritas,

fd

\* ) Sunt, qui odio Philosophiae inducti vel ipsius vocis *demonstrationis* impatientes fint, quasi vero non alia detur, quam quae a Mathematicis in Theorematibus suis corroborandis adhibeatur? Scio, satis Christiano esse debere evidentiā testimonii. Sed annon haec ipsa est animo proponenda? Qui enim inter Christianos putant, esse v. c. Christi discipulis interdictum a jure jurando, provocant ad claritatem auctoritatis Matth. 5, 34. et ad multa alia in sermone montano. Et quid multa? Annon ipsi Apostoli rationes praeceptorum reddunt, quamquam plerunque implicite: Sponte sese mihi offert illud: 1 Pe. 2, 11. carissimi, cohortor ut inquilinos et peregrinos: abstinetis vos a corporeis cupiditatibus, quae contra animalium militant. quis non videt, caussam duci ab ea lege ipsius naturae, que nos jubet, felicitatem nostram confitari et effugere ea mala omnia, quae animo corporique nocitura sunt? Loco Pauli Col. 2, 8. abusi multi olim sunt ad diffusa-  
denda

sed inimicus ipsi, error debilitari frangique, non est 4) omittenda, ubi opus id fuerit in re praesertim gravi, *refutatio*. Exemplum de-  
dit Mosheimius cum saepiuscule in propellendis Mysticorum som-  
niis, tum in convincenda multorum opinione de, nescio quo singu-  
lari precandi dono (*Gebetsgabe*), item in capite de celebranda die  
dominica. Tentavi ipse aliquid in dissuadenda *ωτροξεια* et in aliis  
locis, quos debebam pro virili parte munire atque tueri. Sed quare,  
ais, haec omnia tam docte? An fortassis ars est pictas christia-  
na? Absit. At quoniam Christiani plerique multas leges S. S. histo-

G 3

rice

denda philosophiae studia. Vidissent vero de anili illa Iudeorum cabbalisti-  
ca arte Paulo sermonem esse, quodsi ad rationes ab eo allatas attendissent:  
quod ea est *ἀνθενη, πάτη, παραδοσις των ἀρχαντων*, continens misera *σογκεα της κοντης*  
judaici, *και της φύσης Χρυσον*. Quae omnia in sanam rationem, quatenus ejus  
praecepta in unum corpus justo ordine colliguntur, dici nequeunt. Quan-  
do Servator ait Matth. 5, 28. *quisquis feminam sic adspicit, ut eam concupiscat,*  
*jam eam animo adulteravit*, adde causa loco: nam peccatum proprio in  
aberratione mentis a lege consistit. (§ 39) Quando Iacobus c. 2 v. 10  
dicit: *qui, quamvis aliquin totam legem observet, tamen in uno delinquit, is*  
*omnibus tenerit*, scrupulos de vera hujus sententiae vi non aliter exemeris,  
quam docendo, unicam esse proprię virtutem, i. e. habitum, voluntati  
divinae in omni vitae actione obsequendi. Aut, quando idem affirmat sanctus vir: *qui recte facere noverit, neque faciat, eum in vitio esse* c. 4, 17. ipsa  
rei gravitas postulat, ut ostendatur, non minus peccare, qui bonum omit-  
tat, quam qui vetita committat. Nam hoc paucissimum persuasum est. Per-  
tinet igitur ad honorem Evangelii, ejus cum natura rerum interna et sana  
omnium ratione confessionem declarare, atque hoc ipso eorum obtrectatio-  
nes occupare, quibus pleraque, fortassis non semper in ipso S. codice, at  
tamen in ethicis superiorum doctorum libellis, a falsitate proprius abesse vi-  
deantur. Ut denique hoc obiter addam, Sae*c.* adhuc XIV moris erat iis,  
qui ad officia homines cohortabantur, a brutis animalibus rationes & ex-  
empla virtutum sumere. Exempla habes in MOSHEM. *instit* H. E. p. 595.  
Disputat de hoc *πιθανότητες* ethicae genere more suo copiose BAILIUS in  
*Dicit. hist. & crit. v. Barbara* litt. C. p. 452 f. et conf. BARBEYR. ad Pufend.  
L. II. c. III. § 2. n. 7.

rice tantummodo norunt, rationes internas earum ignorant, graviter a multis erratum est, ut facile de praceptoribus illis Matth. 5, 34. 37. 39. Luc. 12, 33. rel. ostendi posset.

## §. XLIII.

Sed jam his missis, doceri id a me ante omnia debet, quod magno erit ad reliquam tractationem subsidio, scilicet *summam esse inter Theologiam dogmaticam & Ethicam cognitionem*\*). Nam non modo universa Theologia habitus est practicus (§. 17) sed utraque etiam Theologiae pars idem principium, eamdem originem, eamdem necessitatem ac eundem denique finem habet (§. 18-20.). Et de auctore D E O utriusque Theologiae, non est opus dicere, quum πατερ γενητης sit θεοπνευστος I Tim. 3, 16. (§. 1.2) et de fine supra iam dictum est (§. 41). Adjiciemus igitur ea tantum, de quibus seorsum aliquid moneri debet.

## §. LXIV.

Quod enim ad *Principium cognoscendi* attinet, nemo est, quin perspiciat, ab hoc omnem rectitudinem pendere. Nam, quod verissime Dialectici suo sermone dicitant, posito principio, ponit quoque principiatum, et, effectum non meliorem esse posse sua causa: ita prorsus etiam necesse est, ut ex fonte impuro non nisi turbidae aquae hauriantur. Et tamen praeter Protestantium coetum nullus est aliis, qui verum in tam gravi re, a qua reliqua pendent omnia,

vide-

\* Quavis facile intelligit, propositum mihi in hoc toto libello fuisse, cum varias alios, tum *Indifferentiarum* maxime opiniones, quae nunc quidem regnante latissime, frangere. Jam, cum hi in hoc nobiscum faciunt, virtutem ab amore Dei proficiere debere: afflenda ideo erat a nobis dignitas ac necessitas orthodoxiae dogmaticae, quoniam ut quemque habemus optime cognitum, ita eum etiam veneramur atque amamus. Sumamus, statui a quibusdam, Deum absoluto decreto hos elegisse, illos reprobamus: an qui hanc profitetur opinionem, nisi alias sanioribus doctrinis adjuvaretur, posset animi vera & libera pietate Deum colere, de quo tam male suspicaretur, *Particularismi* pertinax defensor? Conferenda est hic tractatio de influxu systematis singularium sectarum in rem moralem, in celeb. WALCHII Relig. Streit. außer der Luth. K. Tomo. II. 675. III. 399. IV. 576. V. 710.

viderit, aut potius videre velit. Quemadmodum enim nos quidem praeceptionem nostram omnem de re morali cum in primis ex S. Scriptura ducimus, minime tamen natura notas veritates negligamus, sed magni potius faciamus: ita e contrario alii coetus inter Christianos in opposita vitia incurunt. Sicuti enim *Naturalistae* S. Scripturae judicium in rebus divinis omnino spernunt: ita e contrario *Mystici* rationem aspernantur, externo autem verbo, ut appellant S. Scripturam, tantum tamquam duce ad lumen illud internum utuntur, ad quod si quis penetraverit, viae monstrator mittitur. *Fanatici* vero ita rationis et revelationis, quam mancam et insufficientem clamant, ope carent, ut ad nescio cuius Socratice daemonis oracula, seu ad quamnam novam et immediate sibi oblatam, revelationem confugiant. Quorum somniorum quam ferales et exitiosi reip. sint effectus, parricidia in reges admissa et atrocissima alia flagitia et bellum rusticum et alias clades pestesque loquuntur. Nam quae dira ille non audeat, qui effervescente mala bile et alio animi morbo in rabiem actus, divino afflato se agitari credat? *Pontifici* cum in eo peccant, quod 1) libros apocryphos, in quibus tamen male facta laudantur Jud. 9, 2. 15. 10, 12. 13, 7 seq. Sir. 12, 4. 2 Macc. 14, 42. Tob. 6, 9. rel. pro divinis habent. 2) Quod non faciunt copiam Laicis verlandae S. Scripturae; tum vero 3) in hoc, quod leges ferendi Christianis arbitrium atque potestatem Pontifici Romano vindicant, (*BOSSUET expediton de la doctr. de l'Egl. cath.* p. 129. ed. de Paris); 4) S. Scripturae auctoritati Traditionum illam, maximam partem levium aut commentitarum, aequant; in interpretando 5) denique oracula divina plus uno modo gravissime peccant, cum ecclesiam sensus S. S. arbitram esse mentiuntur. Unde nemo mirabitur, iniquissime autem sunt ret quisque, Pontifices multa legibus naturae contraria sanxisse. Ex quorum genere haec et alia sunt: matrimonium Clericis negatum, solutio juris jurandi (*BOEHMERI Jus eccl. Prot.* T. IV. p. 57 seq.) item pactorum, subtractione ordinis sacri a potestate summorum imperantium, supplicia haereticorum rel. \*). *Sociniani* denique, et *Anabaptistae* unas N. F. tabulas

\*<sup>4)</sup> Fallsumum illud inter peccata venialia et mortalia differeniam quam pestilens

bulas Christianorum legum, earumque novarum, latices volunt esse, earum vero praecepta ita ad litteram interpretantur, ut, quae proxime verbis, nude simpliciterque acceptis, vis insit, hanc unam sequantur.

## §. XLV.

Facile vero, si id opus fuerit, instituenda inductione ostendi posset, esse in utraque Theologiae forma multas veritates natura jam notas. Sed nemo Christianorum Paullo ipso teste de hac tam clara re dubitaverit, Rom. 1, 14. 32. immo omnino nullus, nisi ad belluinam naturam ab humana iterum prolapsus fuerit. Quae igitur cum inter omnes in confessio sint, perspicuum est, quare idem gentium doctor, ne in describendo toto illo virtutum singularum pulcherrimo ordine, nimius esse debeat, generatim Philippenses ad naturalem justi ac honesti sensum attendere juss erit: *Ceterum, fratres, inquit, quae vera sint, quae gravia (σοβα) quae justa, quae rasta, quae amabilia, quae εὐφυες, honesta faustaque dictu et auditu; si qua virtus, et si qua laus est, ea cogitate, quae et didicisti et accepisti, et audivisti et vidiisti in me.* Phil. 4, 8. Immo vero quum Christus et Apostoli notis tantummodo, simpliciter exhortantes ad virtutem omnem, nominibus earum utuntur; neque ipsi definiunt, quid per eas virtutum vitiorumque appellations intellectum suis a lectoribus velint: consequens est, eos illis pie, juste et moderate vivendi necessitatem imperare, quibus quid hoc sit, jam aliunde et per se notum esset. Et quidni hoc natura magistra cuivis planum esse oportuit, cum sine justitia ac honestate nulla est omnino societas humana? Immo, ut CICERO ait, justitiae tanta vis est, ut nec illi quidem, qui maleficio et scelere pascuntur et una latrocinantur, possint sine ulla justitiae particula vivere (Off. II. II.)

Quare,

Iens fit rei morali, vel ex hoc uno exemplo appareret, quod ex TOLETI casibus const. s. instructione sacerdotum p. 327. hic transscribam: „mortale „peccatum fit veniale ex levitate materiae. Unde furari ex genere mortale „est; tamen furari quid minimi valoris, non est vere mortale, nisi fit maior quantitas materiae. 2) ex imperfectione actus cet.” Longe vero alter Apostoli Gal. 3, 10. Iac. 2, 10. 11.

Quare, quum ejusmodi doctrinas, quas ratio primum tradat, revelatio vero confirmet, aut vice versa, *articulos mixtos* appellare Theologi sueverint: tales inesse in Theologia morali, immo vero plerasque ad hoc genus pertinere doctrinas morales in S. S., certum est. Quae enim omnino ignorantur a ratione, paucae illae quidem numero sunt, ut infra §. 64. patebit. Cum tamen revera tales sunt in Theologia morali doctrinae, quae aciem humani ingenii fugiunt, et illae, in qua maxime regnant, Theologia dogmatica, *articuli puri* vocantur: videmus, etiam hac in parte esse utriusque consensionem.

## §. XLVI.

Sed illa longe est adhuc major utriusque consensio, quae ad necessitatem doctrinarum in salute humana tuenda, aeterna vero consequenda, sese refert. Quae enim inter dogmata Christianorum sunt ejusmodi, ut iis vel ignoratis, vel multo magis negatis malitiosius, nec gloria Dei, nec salus aeterna nostra et alicrum promoveri queat: (si qua scilicet eorum cognitio certa acquireti potuissent,) ea vero *fundamentalia* vocantur, propterea, quod iis sublati, totum illud religionis revelatae aedificium conquassetur ac ruat. Jam vero ea pracepta, sine quibus nec justitia, nec castitas, nec sanctitas, nec omnino virtus humana esse, cogitarique potest, ad unum omnia arctissimo nexus cum gloria Dei et salute humani generis esse copulata, in hoc numero habeti debere, ut sint *articuli fundamentales*, ad quos quisque mentem et vitam componere totam debeat, certum est, et ita certum, ut dubitari debeat, verane sint illa, quae de quarumdam gentium *integrarum* infami et supina turpitudine, legibus institutisque confirmata, incertis rumoribus auctoribusque circumferuntur \*). Haereticorum vero quorundam, si qua sunt non invidiose conficta, horrenda vel auditu flagitia inexplicabilia, quibus se contaminavissent, numquam in multis, multo minus in singulis, naturalem illum honestatis turpitudinisque sensum delere & funditus tollere potuerunt.

## §. XLVII.

\*.) Disputavi de hoc Parte IV. der *bijl. mor. Schilder.* p. 267. ff.

## §. XLVII.

Quo magis mirandum est, quare non dudum eadem severitate, qua quidem in credendorum doctrina factum est, auctoritas articulorum pietatis et virtutis omnis fundamentalium sit stabilita. Nam quantumvis totius Ethicae haud debeat omnibus Christianis imperari distincta & absoluta cognitio (§. 10) Theologis ea tamen debet; ab iis vero omnibus, qui Christo nomen dedissent, legum divinarum studiofissimam constantissimamque observationem postulari oportere, exploratissimum est Gal. 5, 6. Eph. 2, 10. Matth. 5, 20. 19, 17. Rom. 8, 13. Ebr. 12, 14. Ex hoc vero duo sunt consequuta; primum, ut doctores, qui sibi nimis cito normandi de rebus divinis sensus, potestatem sumfere, eis tantum *haereses* infamiam inuferint, qui secus de credendis, aut aliquibus dogmatis sentirent, quam esset ab antistitutum collegio decretum et legibus cautum; in eos e contrario plane non animadversum sit, qui magnis sele criminibus ac fraudibus obstrinxissent et superbe crudeliterque adversus regiam Christi legem cum errantibus egissent. Quasi vero ac, si qui intelligentiae habentur errores, magnam partem in multis hominibus haud facile evitabiles, graviores essent animi vitiis et inuste, intemperanter, libidinoseque ac impie factis. Scilicet haec aperte aeterna damnatione digna pronuntiat Scriptura S. Gal. 5, 19 - 21. 1Cor. 6, 9. illos vero non item. Ex quo siebat, ut inde a CONSTANTINI M. tempore plena sint inquinatissimae multorum episcoporum et reliquorum doctorum vitae, et libidinum in primis fastusque omnia: adeo, ut necesse fuerit, hos, qui sele castos ac integros Christo servare vellent, in deserta remotaque a coetu hominum loca concedere. Haereticorum vero multos novimus, non aliam ob caussam infamiam ac supplicia subiisse, quam quod liberius ac interdum acerbius in illa Cleri vitia invehementur: saltim sanctius et justius multos, quam eorum judices, vel potius carnicies vixisse, constat. Et tamen hi *sancctorum* titulo in illa lascivia impudentissime superbiebant. In qua perversitate notanda si acer et veri simul rectique amans ARNOLDVS fuisse, et sibi aliis in rebus ab odio Theologorum temperavisset, non esset sane vituperandus,

dus, sed ab optimo potius quoque maximis laudibus cumulandus. Praeter vero haec illud etiam diu mirum mihi visum est, libros dogmatice heterodoxos proscribi, vicissim vero fabulas romanenses, et poetarorum spurcissimas pestilentissimasque fordes singulis nudinis Lipsiensibus atque Francofurtanis publice vendi, immo vero christianis in scholis quibusdam venena Tibulliana impune propinari.

## §. XLVIII.

*Alterum*, in quo doctorum industria christianorum in ornanda commendandaque morum doctrina desiderari posse videatur, hoc est, quod *martyrii* honores, (et divinos fuisse eos accepimus,) iis maxime decreverint, qui ea, quae credenda a Christianis omnibus, doctores publice proponebant, masculine constanterque horrenda inter supplicia profiterentur; non vicissim, immo potius illis, qui quotidie, atque adeo diuturniore, constantiore ac ob id ipsum quoque difficiliore, martyrio adversus omnes peccati illecebras ac malignitatis insidias, hominum vero fortissimas ad libidines explendas sollicitationes, invicta fortitudine pugnarent. Quid enim quaeso te, victoria hac esse illustrius aut in omni rerum universitate magnificentius potest, quam hominem adeo non suis vinci se pati naturae cupiditatibus animique hinc commotionibus, illinc perverissimorum aliorum hominum aut minis, aut lenociniis, ut neque a voluptate, neque a metu frangatur, sed uno amore Dei & Servatoris sui inflammatus, nihil a statu christianaee sanctitatis, nihil a dignitate sacri carique D E O hominis discedat! Et ad illud quidem publicae constantiae genus honor et insignia *martyrum* et *confessorum* praemia multi, quod alibi a me antiquitatis christianaee auctoritatibus confirmatum est, sunt invitati: hoc vero privatum quotidianumque Victoriae genus tanto est admirabilius atque majus habendum, quod non modo praemiis humanis, sed etiam testibus plerumque caret. Quo magis in haec robusti et super humana excelsi animi praeclarissima facinora divinum illud Ciceronis nostri, quo libenter uti soleo, cadit: „hoc igitur tibi propone: amplitudinem animi et quasi quamdam exaggerationem quam altissimam

animi, quae maxime eminet contemnendis et despiciendis doloribus: (addiderim ego: voluptatibus) unam esse omnium rem pulcherrimam, eoque pulchriorem, si vacet populo, neque plausum captans, se tantum ipsa delectet: (inseret Christianus: et DEO virtutis, a se in tam fragili homuncione effectae, conscio teste ac spectatore) quin etiam mihi quidem laudabiliora videntur omnia, quae sine venditatione, et sine populo teste fiunt, non quo fugiens sit (omnia enim bene facta in luce se collocari volunt) sed tamen nullum theatrum virtuti conscientia majus est., Recte, ait, quispiam fortassis. Quodsi vero non laudes hominum animi magnitudo desiderat, sed refugit: quid est igitur, quod inique feras, non esse decretos his, qui se ipsos difficillimo victoriae genere, vicissent, publice martyrii honores? Sed in promptu est, quid respondeam. Non erant hi, quos dixi, privati martyres, laudibus cumulandi aut opprimenda eorum modestia gloriaeque humanae despiciencia in summum discrimen decernendis publice honoribus vocanda. Ac vicissim et dogmatum professoribus parendum, neque committendum fuisset, ut in debellanda una haeresi, non multo magis vitae impietate adversus Christum, laus hominis christiani omnis ponи videretur. Quae non dixissem copiosius, nisi eam rem ad inflammada inter nos pietatis studia, facturam permultum esse, arbitrarer.

#### §. XLIX.

Quoniam *orthodoxia moralis* in hoc consistit, ut moderetur omnes actiones Christianorum morales ad veras regulas (§.42): regulae autem hae, sive normae agendi, a justo domino praescriptae, *Leges* appellantur: consequens est, ut illa tota in tradendis veri nominis legibus debeat versari. Sunt autem verae regulae et leges hae, quaecumque verum bonum producunt (§.39) atque adeo non solum ratione sufficiente gaudent, sed etiam, quoniam ex omni vero ac justo consenso admirabilis exsplendescit, ex certis principiis demonstrari deducique possunt. Quae his contrariae sunt, *falsa*e confitiaeque sint, necesse est; a quibus adeo, tamquam, ab huma-

humani ingenii iudibrio profectis, maxima providentia cavere sibi debet Theologus (§. 44) \*).

H 3

§. L.

\* Omnis *regula*, tamquam enuntiatio illius, quod fieri oporteat, generatim modum debet definire, quo finis aliquis obtineri possit ac debeat. Jam quoniam varii sunt variorum hominum fines: igitur diversae etiam dantur regulae, ut logicae ad inveniendum verum; civiles ad amplificandam salutem publicam, oeconomiae ad rem faciendam aut conservandam etc. Eorum omnium regularum *veritas* nititur principio certo, quod est vel ratio, vel experientia; *bonitas* autem judicanda est ex commoditate modi praescripti ad scopum in se probabilem; *perfectio* denique ex sufficientia ad finem ultimum quam aptissime obtainendum. *Vera* igitur *regula ethica* non alia est, quam quae 1) ea tantum praescribit officia, ad quae Deus ipse nos obligat. Ex quo gravissimus patet Ethicae Pontificiae error, quibus *regula divina* dividitur in praeceptum *naturale*, ut decalogus, et *humanum*, „ut sunt praeccepta Praelatorum, et omnis a tali regula recessus peccatum dicitur. (T O L E T I summa casuum cons. L. III. c. I. §. 2. p. m. 325. ed. Colon.) 2) quae illa praecepta vero fundamento superfruunt, i. e. gloriae Dei et saluti nostrae et aliorum: 3) quae veras his addit rationes, nos ad exequendum legem et obligantes, et impellentes. *Falsarum* ergo *regularum* magistri fuerunt Stoici, qui *ἀνθρώπου* in virtute posuerunt, cum tamen hoc naturae ipsi adversatur (§. 53) Heterodoxi ethici sunt ii, quos § 80. 81. in scenam producemus. Male deinde ad veram felicitatem consequendam viae duces sunt *Mystici*, hominem ab omni actione revocantes, *Ascetae* item *monastici* ad nescio quae? dura exercitia eos, qui velint ex carceribus suis recta via in caelum ascendere, sollicitantes. *Perversi* denique magistri, qui, quo a perjurio hominibus caveant, malum genium ob oculos pingunt, rapturum mox per aerem mendacem et praesentis Numinis contemptorem. Immo vero nec ii vera tradunt, qui ad liberalitatem erga egenos hominibus persuadendam non alio majore aut certiore incitamento utuntur, quam quod vel a spe fortunarum augendarum, vel metu amittendarum petitur, et auctoritate multorum oraculorum V. F. munitos se satis putant, quasi ignorare non turpe sit, non altiora, quam terrestria, praesentia et ad felicem in Palaestinam commorationem facientia, bona rationibus hujus gentis accommodata fuisse.

## §. L.

Quia Deus est natura optima, atque adeo omne verum bonum velle debet; idem vero cum sit sapientissimus: consequitur, ut cupiat, ab hominibus consilia sua ac voluntatem perfici. Quoniam vero accidere potest, ut, quod bonum sit in se, malum fiat in ratione ad aliud bonum, quod et maius in se sit et latius pateat, impediendo scilicet hoc: idque haud dubie esset voluntati et finibus Dei contrarium: oportet eum, qui velit certam actionum optimarum normam hominibus praescribere, habitu gaudere, nexum veritatum perspiciendi \*): quae facultas cum RATIO ipsa sit, nemini non perspicuum est, primam ad orthodoxiam ethicam consequendam viam, rationem esse. Quod ipsum, quoniam magnum est in se, debet jam a nobis ostendi plenius.

## §. LI

Videlicet, quoniam in Ethica Theologica pleraque praecipita articuli sunt mixti; atque adeo voluntas DEI de dirigendis actionibus moralibus ope rationis nobis patefiat: declarata autem DEI voluntas *Lex divina* procul dubio sit: sequitur, Theologum in tradenda Ethica ante omnia legibus naturalibus plene cognoscendis operam dare debere. Fons, ex quo illas haurire debet, est natura rerum cunctarum: hinc, quidquid ex docta rerum naturae investigatione eruitur, id constituit principia normantia Ethicae, seu regulas, quibus docemur, quomodo habere nos recte, iuste, moderata-

\* Sentio equidem, in quem lubricum locum sim deductus, qui est de *legum*, quam vocant, *COLLISIONE*. Sed quoniam breviter de ea dicere, id est, ac male praecipere; id vero a me hic fieri necesse esset, id unum moneo, de nulla legum seu regularum verarum pugna cogitari debere: sed si tempora incident, quibus duo officia simul exequi nequeamus, palam esse, alterum eorum esse respectu nostri & praefentis temporis, ex numero rerum impossibilium, ad quae nulla nos lex obliget. Si quitur ergo, ultra alii sit praferenda? inquirere nos oportere. De hoc vero tradita praecepta sunt partim in *Ethica Baumgart.* § 99. partim *Moshem.* V. 42 - 72. Ipse vero quam feliciter *Tomo VI.* difficillimum locum istum i. Io. 3, 16. illustraverim interpretando, alii judicent.

derate ac sapienter erga et circa objecta singula debeamus: ipsa vero ratio, qua haec principia cognoscit, illi est *principium cognoscendi*.

## §. LII.

Cum DEVS auctor hujus universitatis et cunctarum rerum, quae sunt, atque adeo universae naturae, quanta quanta est, sit: et eam ad gloriam suam manifestandam nomine suo fuerit architectus (§. 4): Christus vero de caelo divinitus missus, nihil in rerum natura, ne quidem ipsius hominis naturam, mutarit, sed ipse illam potius induerit: rectissime posui, *rerum natura investiganda posse nos cognoscere principia normantia actionum liberarum*. Superest igitur jam, ut haec ipsa paucis pandamus, eaque statim plene, et tamquam principia complexa, oculis lectorum subjiciamus.

## §. LIII.

Quisquis igitur naturalis virtutis magister in toto illius ambitu describendo feliciter versari velit, omnia sua praecepta ad has leges quam fieri id possit, curatissime attemperet, necesse est: *Fac ea, quisquis es, quae*

I. *omnibus attributis Dei*, ex pulchritudine, ordine ac sapientia mundi facile ab attento quovis spectatore cognoscendis, *conformatia* sunt.

II. Et quoniam magna est et mirifica tot tantarumque rerum, quarum universitatem divino numine conservari vides, consensio: debes et tu cum universa hac *DEI* civitate, in illustranda ipsius gloria et humani in primis generis felicitate promovenda conspirare (§. 4). Nam hanc in primis *DEVM* spectare, vel ex hoc jam clarum est, quoniam *nulla*, ut praeclarissime Seneca ait, *majestas sine bonitate est*, aut ut Plato, omne bonum sui communicabile cogitatur.

III. *Perfice* hunc in finem, quae insunt cum in animo, tum in corpore tuo, varia. (§. 39. Not.)

IV. *Consecutare* igitur ea, quae excitandae *in te* honestissimae ac longissime duraturae animi voluptati inserviant. In hoc enim, ut felicitas omnis sita est: ita ex illius studio *sapientiae* verae vis eluet.

## V. Quare

V. Quare non est, quod a natura, id est, a DEO ipso *instros*  
*tibi appetitionum igniculos extinguis aut opprimas.* Absit, eos mo-  
do, ad quas te quali stimulis subjectis incitant, actiones, ceteris  
legibus perfectionis accommodato: ita quidem, ut majorem stabili-  
remque utilitatem ac voluptatem semper minoria et fluxae preeferas.  
Neque enim bona actio potest esse ulla, quae sit aeternis & immu-  
tabilibus naturae nostrae physicae legibus contraria, aut quae com-  
mune animantibus omnibus conservandi illud sui studium oppugnet  
(v. *cic. Off. I. 4. de fin. b. et mal. II. II.*)

VI. Humanas societas omnes, cum magnam illam civilem,  
tum has minores, sine quibus nulla civitas, jure sociata, esse aut  
florere potest, ut est conjugum, parentum et liberorum, herorum  
item ac servorum, et si quae aliae sunt publicis institutis stabilitate,  
*sancte colere memento.*

VII. Conscientiam cum honestissimi et optimi cuiusque viri,  
tum animi tui ipsius, eo magis reverotor, quo minus tibi obse-  
cnum est, quoties allatis his a me legibus omnem vitae actionem ac-  
commodavisses, nihil esse bene factorum recordatione jucundius:  
qui vero impie aliquid scelerateque commisissent, hos non quidem,  
ut est in fabulis, ardentibus Furiarum taedis, at sua e contrario  
quemque fraude et suo terrore maxime vexari & agitari ubique lo-  
corum omnique aetate confuevisse.

VIII. Legibus his observandis humanam naturam ornari evehi-  
que ad verae dignitatis suae decus, cogita: contra, quisquis spre-  
verit illas aut his contraria in se et alias admiserit, hunc vero ad  
belluinam naturam trudi; humani denique generis felicitatem sine  
his nullam omnino esse, sed contentum earum confusionem re-  
rum omnium magnamque perturbationem subsequituram scito. (v.  
GELLERTI nostri egregium libellum: *Beschaffenb. Umfang und Nu-*  
*tzen der Moral* Lips. 1766.)

#### §. LIV.

Qui igitur omnibus his legibus conformat sistema suum ethi-  
cum, sapientis doctoris et probabilis elogio est condecorandus. Qui  
vero

vero vitam omnem ad eas instruere annititur, haud dubie *bonus homo* dicendus est. Quodsi autem longa multaque exercitatione, non singulis modo, sed omnibus illis conformiter agendi, facultatem et habitum sibi quemdam comparaverit, tum sane iniqui essemus, quodsi *virtute eum ipsa*, esse potum negemus, quamquam *naturali* tantum illa.

## CAPVT TERTIVM

DE

CONIVNCTIONE ORTHODOXIAE  
DOGMATICAЕ ET ETHICAЕ.

## §. LV.

**O**stendendum erat superiore capite, quoniam, quos vult sanctimoniae monstrator Theologus ad omne virtutis verum decus informare, homines sunt, omnem ejus doctrinam ad Ethicae philosophicae lineas esse describendam. Sed quia iidem Christiani sunt, multo adhuc magis *ipsius institutio* debet ex divina revelatione tota *instrui*. Jam vero summa illius, quatenus rationem et ordinem salutis aeternae continet S. Scriptura, in *Theologia dogmatica* continetur: Ergo tota Ethica christiana quam exactissime illi quidem respondere debet; quod dum sit, *dogmatice orthodoxa Ethica* erit appellanda (dedi jam exempla §. 17. in nota.) Et praeter hanc alia, sensu christiano vera Ethica non datur \*). Nam quos audimus interdum ex philosophicis magistrorum suorum libellis de virtute pro concione sacra, quod merito mireris, ipsorum agrestium hominum, audacissime loquaculos declamare, hi non sunt Theologi, sed minutuli philosophi: ut illi olim veteres pallio et barba, sic hi quidem atra ueste sua, nescio quid sapientiae praeferebant et pollicentes. Sed non novus est, quo publica institu-

tio

\*) Sed et hi doctores coetuum christianorum facri muneris partes non recte obeunt, quorum omnis labor tantummodo in dogmatibus fidei explicandis versatur.

tio laborat, morbus. Quis enim ignorat, Scholasticos etiam in moralibus plus ex ARISTOTELE suo, quam Paullo sapuisse; doctores vero alias multos Patres frequentius, quam Christum & legatorum ejus scripta testes in cohortando ad vitam sanctam citasse? Nostra vero aetate parum abest, quin HUMIVS, PANAGIVS (Toussaint) POPE, ADDISON et alia exterorum nomina sacros etiam pariete personent. Et quid multa? Miror saepe in sermonibus sacris, superiori saeculo habitis, compilationes ex profanis auctoribus illas, quae scilicet ignorantiam verae christianaee disciplinae tegere tamquam fuso debebant.

## §. LVI.

Quod Philosophis est *actio*, stilo Scripturae S., (ut sexcentis ex utroque Foedere locis cogi posset,) appellatur *opus*. Cui consentaneum est, ut, quae in philosophicis libellis honestae et bonaee actiones vocantur, sacra lingua appellantur *bona opera*, et quae his sint opposita, *mala* \*). Qui in his bonis operibus incenso, vera fide in Christum, studio suo perpetuaque exercitatione habitum essent consequuti, *sanceti* sunt sensu christiano, sive vere *pii*, quantum non alio fortiore, quam amoris, placati a Christo DEI, motivo ad recte agendum incitantur (§. 39.). Alias synonymicas christianaee virtutis appellationes praetereo, id unum monens, abstinerre fere a *virtutis* voce S. Scripturam, hebraeo more, vel, uti Moshemio placet, ad evitandam cum Graecarum sectarum et Stoicae in primis, *αρετη* confusionem (*Eth. Mosh. IV. 11.*)

## §. LVII.

Quoniam hominis cujusque virtus cum omnibus illis, supra propolitis (§. 53) regulis debeat esse consentiens, iisque conformata: homo

\* Exempla requirenti aliquot ceterorum loco suppeditabimus: Matth. 5, 16. Io. 3, 21. 8, 39. Rom. 2, 7. Col. 1, 10. 1 Thess. 1, 3. 2 Thess. 2, 17. 2 Tim. 3, 17. Tit. 2, 7. 3, 8. 1 Pe. 2, 12. Ebr. 10, 14. Apoc. 14, 13. de malis Ps. 9, 17. 144, 8, 11. Matth. 23, 3. et quidem etiam internis pravis actionibus Io. 3, 19. 20. 7, 7. Rom. 13, 12. Gal. 5, 19. Col. 1, 21. de cogitationibus et consiliis veteris depravataeque naturae Col. 3, 9. Ebr. 6, 1. rel.

homo autem naturae suae, ex calamitate illa primi peccati, jam mancae ac depravatae, lo. 3. 6. viribus id praestare nequeat perfecte atque harmonice (§. 5); immo ne D E V M quidem a se laesum poenasque jure repetentem gravissimas, libere amare \*): sequitur, ut

I 2

homo-

\*<sup>3)</sup> Rectissime enim venerandi majores in Apologia A. C. decernunt: *Poftrimo hoc impudentissime scribitur ab aduersariis, quod homines rei aeternae irae, mercantur remissionem peccatorum per actum elicitum dilectionis, cum impossibile sit diligere Deum, nisi prius fide apprehendatur remissio peccatorum. Non enim potest cor vere sentiens Deum irasci, diligere Deum, nisi ostendatur placatus, donec terret et uidetur nos abjecere in aeternam mortem, non potest se erigere natura humana, ut diligit iratum, judicantem et punientem.* - In agone conscientiae et in acie experitur conscientia vanitatem illarum speculationum philosophicarum. Paulus ait: Lcx iram operatur Rom. 4, 15. - Lex igitur semper accusat conscientias et persterrefacit. rel. (v. Libri symb. ed. Recb. p. 66. Fateor, objici huic disputationi posse, tantam fuisse Philosopherum de divina bonitate existimationem, ut putasse nonnulli eorum videantur, nihil omnino mali ab eo metuendum esse et sunt loca in Platone, Cicerone et Seneca obvia, et in hoc maxime, L. de Benef. IV. 25. Sed observandum est, istos egregios divinae benignitatis praecones 1) clare Deo erga bonos tantummodo illum patrum amorem tribuere S E N. de provid. c. 1. & 6. Quare Cicero ait (off. II. 3.) *Deos placatos pietatem efficere & sanctitatem.* At cum idem (*de nat. deorum* II. 28.) affirmat: *cultum deorum esse optimum, eundemque castissimum atque sanctissimum plenissimumque pietatis, ut eos semper pura, integrâ, incorrupta et mente et voce veneremur;* ego quidem non intelligo, quomodo quis, qui lenserit, quam longe a tam perfecta virtute & pietate abeflet, certus esse potuerit, se et vitam suam omnem D E O probari. Multo minus illi animo tranquillo esse poterant, quos ante aetate vitae memoria de metuendis poenis perturbaret. Nam in hoc consentiunt omnes, poenas suorum male auctorum luiturum esse quemque. Spem quidem facit PLATO, flecti posse deos sacrificiis, votis, libationibus (L. II. de rep. QUINTIL. Declam. CCCXXIII. et molle ingenium OVIDII:

Sæpe deos aliquis peccando fecit iniquos;

Et pro delictis hostia blanda fuit,

Faf.

homo alia ratione, conditioni suae praesenti accommodata, ad virtutem veram perficiendam instruatur et adjuvetur (§. 6). Haec vero instaurandae promovendaeque verae felicitatis ratio cum una in

*Faf. III v. 289. v. 299. Triſt. II. 33. de Ponto III. El. 6. v. 21.* Et alia loca suppedabit SPENCERUS de Leg. Hebr. rit. Lib. HI. Diff. II. c. 3. p.m. 764 ed. Tubing. In promptu tamen mihi sunt alia permulta loca, quibus negant, v. C. SENECA Ep. 115. *Deum non taurorum opinis corporibus contruidatis, nec auro argentoque suspenso, nec in thesauros stipe infusa, sed una pia et recte voluntate coli.* Nulla igitur pacandae menti alia ratio supererat, quam ut moliores animi de misericordia divina bene sperarent, severiores vero in illis a morte subeundis purgationibus omnem futurae felicitatis spem collocarent; quas dum VIRGILIUS Anchisen filio, conjunctim ex mente Pythagorae & Platonis exponentem facit, apponam locum *Aen.* VI. 735.

Quin et supremo cum lumine vita reliquit  
*Non tameu omne malum miseris, nec funditus omnes*  
*Corporae exceedunt peſtes:* penitusque necesse est  
 Multa diu concreta modis inoleſcere miris.  
 Ergo exerceuntur poenis, veterumque malorum  
 Supplicia expendunt. *Aliae* panduntur inanēs  
 Suspenſae ad ventos: *aliis* sub gurgite vaſto  
 Inſectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.  
 Quisque ſuos patimur manes. *Exinde per amplum*  
*Mittimur Elyſium, et pauci laeta arva tenemus:*  
 Donec longa dies, perfecto temporis orbe  
 Concretam exemit labem, purumque reliquit  
 Aetherium ſenſum, atque auræ ſimplicis ignem.

Craftius quidem hoc est philosophari, et ſubtilius, immo vero ore Cicero, nis elegantius hanc iuſtrationem deſcribit Socrates (*Tuſcul.* I. 30) Nobis vero ſatis eſt, hinc cognoviſſe, non penitus poſſe Deum placari et criminā expiari. Quam ſolliciti tamen fuerint in ejusmodi ratione, Deo et ſibi ſatisfaciendi de male admiliſſi, probant recentiorum Platonicorum artes *theurgicae*, in quibus deſcribendis accuratus et multus eſt WALCHIUS V. S. V. in *Lex. phil.* p. 2554-2563.

in S. Scriptura contineatur (§. 7) cuius Theologia dogmatica quasi quaedam interpres et explicatrix est (§. 8): consequens est, ut hominis purgandi, emendandi, et ad veram sanctitatem perducendi non aliis modus sit melior accommodatiorque, quam qui in orthodoxa Theologia dogmatica (§. 17. 25. 27) recte accurateque propo-natur.

## §. LVIII.

Est vero, ut commodo hoc loco id moneam, tota illa mendendi hominibus ratio ad intelligendum eo accommodatior, quo magis illius explicatio historica est, quandoquidem rebus D E V M inter et homines gessis nititur. Quarum ut fides historica testimoniis omni exceptione majoribus, dudum est ab iis, qui libris singularibus divinam originem auctoritatemque religionis in S. Scriptura traditae demonstratum iverunt, evicta: ita planissime et debet et potest salutis, ut vocatur, ordo, a Theologis in Dogmatica explicari (§. 14).

## §. LIX.

Caput vero et quasi quoddam centrum totius ordinis salutis, in quod tamquam in medium, omnes doctrinae vergere et ex quo illae etiam describi debent, est doctrina illa de humani generis effecta a Christo reconciliatione (§. 6. et §. 17. not.) Ergo etiam Theologum oportet, omnem Christianorum ad sanctimoniam institutionem ex redemptione Christi ita derivare, ut ex ea ostendatur et repetatur

I. necessitas studii intensissimi verae sanctitatis (§. 60.)

II. Natura sanctitatis Christianae (§. 61.)

III. Possibilitas illius (§. 78.)

## §. LX.

Demonstrabro I. ORLIGATIONEM Christianorum omnium ad veram sanctitatem (§. 56), nihil opus est, quam ut ex S. S. petitis auctoritatibus cogam, sanctificationem nostram scopum fuisse redēptionis Christi, nec posse nos restaurata comparataque nobis a Christo felicitate aeterna rēip̄a potiri, nisi orne nostrum studium omnes-

omnesque facultates nostras in eam constanter conferamus. Ita vero Paullus 2 Cor. 5, 14. 15. Amor Christi tenet nos, (ouuxex, impellit) ita judicantes: si **UNUS** pro omnibus mortuus est, ergo omnes esse mortuos: (et reatus sui supplicia in illo luisse) ideoque pro omnibus esse mortuum, ut vivi (vita iterum donati et ab aeternis suppliciis soluti pronuntiati) non jam sibi ipsis (suo arbitrio et libidinum impulsi) vivant, sed ei, qui pro eis et mortuus est et revixit. Et comm. 17. Proinde, si quis in Christo est, is nova xris est. Quam praecclare vero mentem hanc suam alibi explicat Apostolus! *Exstigit enim divina beneficentia, cunctis hominibus salutaris, quae nos erudit, ut impietati mundanisque cupiditatibus vale dicto, frugaliter et iuste pieque vivamus in hoc saeculo, exspectantes speratam (promissam) beatitudinem, adventumque gloriosum magni Dei, et Servatoris nostri IESU CHRISTI, qui seipsum pro nobis dedit, quo nos ab omni scelere vindicaret, et sibi peculiarem populum purgaret, recte factorum cupidum.* Tit. 2, 11 - 14 conf. 1 Pe. 2, 24. Negat vero idem, cuiquam praeter uni sancto, futurum esse, ut parta a Christo vita aeterna obtingat: *Pacem cum omnibus persequimini et sanctimoniam: sine qua quippe nemo Dominum videbit* Hebr. 12, 14. Hinc plenae sunt N. F. tabulae exhortationum gravissimarum ad perpetuum acer- rimunque sanctitatis studium 1 Thess. 4, 3. 7. Nam, *Dominum DEV M tuum*, ait Servator, *toto corde, toto animo, tota mente amato: hoc est primum et maximum praeceptum: alterum autem est huic simile: proximum ut te ipsum amato: ab his duobus praeceptis tota lex vatesque pendent.* Matth. 22, 37 - 40. Et, qui illi, quibus persuasum sit, se uni D E O tantum hoc beneficium acceptum debere, alio modo, quam glorificanda ipius sanctitate, amorem ipsi suum et gratum animum testari possent! Hinc Petrus ep. 1. c. 2, 9. *Vos genus lectum estis, regale sacerdotium, sancta gens (sanctorum Judaica illa) populus acquisitus (Christi λογιο) ut virtutes praedicetis ejus, qui vos ex tenebris in suam lucem mirabilem vocavit.* Qui enim, quantumvis scelerati, propitium tamen sibi D E V M existimarent, quantum in eis est, cogerent, ut a se et sanctitate sua ipse dissentiret secumque adeo pugnaret. v. Iupra §. 27. Not.

## §. LXI.

Sed huic loco, toties jam tractato, quamquam in se pulcherrimo, non opus est, ut diutius immoremur. Progredimur ergo statim ad alterum, explicatur II. ex redemtione Christi maxime, *NATURAM* et quasi formam *SANCTITATIS CHRISTIANAE*. Mens tota DEO consecrata atque eam vitam, quam uni ipsius miserationi et gratiae debet, quasi propriam dedicans, non potest non omnibus suis viribus, ab ejus infinita bonitate sibi concessis, uti ad id efficiendum, quod sciat ipsi esse gratum atque jucundum; quando quidem DEVС non alia re magis potest deletari, quam suis ipsiusmet virtutibus, praeter vero has, expressis ad suarum exemplum, humanis. Nullus ergo tam glorioso nomine dignus *Christianus*, quin totus sit in perficiendis *bonis operibus*. Quas dum ita appellamus sanctas actiones (§. 56), cogitent lectores, nos alio longe, quam qui ex Romani episcopi lege virtutes explicant, et eminentiore sensu hac voce uti. Nam non modo nobis B. O. non sunt utiles qualescumque actiones, sed eae solum, quae omni ex parte cum veris regulis, maxime vero cum *praeceptis Christi convenient;* sed voci *operum latiorem* etiam vim potestatemque tribuere fas est, non angustiorem nimirum, quam quo in Philosophorum libris *actionis* vocabulum gaudet; quam hi quidem ita praecipiunt accipiendam esse, ut et de internis et de externis a libero voluntatis nostrae decreto, profectis operationibus sit sumenda (§. 39).

## §. LXII.

Quoniam Deus universum genus humanum est judicaturus Matth. 25, 32. Act. 10, 42. *judicare* autem is dicitur, qui leges generatim propositas ad actiones individuales, sive singulas singulorum, applicet: gentes vero christianaе religionis luce haud collustratae, leges nobis revelatas ignorant: reliquum esse videtur fore, ut DEVС secundum naturales tantummodo leges de maxima humani generis parte sententiam ferat Rom. 2, 12. 15. Ex quo consequitur, naturales illas (§. 53) a nobis ordine expositas leges, aequre esse divinas, atque proprius clariusque nobis in N. F. manifestatae illae. Quod iterum

iterum a me repeti hic, non mirabuntur cordatores, quotquot eorum indignissime ferant, permultos Christianorum tam abjecte de *ratione* sentire, ut pudeat nos istius infaniae; peccata vero adversus eam admissa tam parvi ducere, ut vix illorum eos poeniteat. Et tamen ratione nihil divinius obtingere nobis potuit et his quidem legibus humano generi beneficentius impertiri nihil, propterea quod, si a tantulo illo Christianorum numero abieris, universum hominum genus iis fuit rectum. Quo magis quantas maximas debemus grates providentissimo et studiosissimo humanae felicitatis numini, quod perversissimis temporibus saevientibusque exemplo et crudelitate Neronibus, naturalis honestatis turpitudinisque sensum dignatum fuerit in tanta peste & vitiorum eluvione ab interitu vindicare. Quem locum, vix mihi tempero, quo minus flosculis, ex omni historiae campo decerpitis, exornem. Sed sunt nimirum, sicut in vitibus, revocanda et quasi amputanda ea, quae in materiae inprimis foecunditate, nimium se se profuderunt.

§. LXIII.

Futurus autem sermo nobis omnis est de *LEGE* Dei *REVELATA*, ex qua duci omnis sancta Christiana actio derivari que debet. Hanc multi putant uno *Decalogo* contineri; alii vicissim ad alios, praeter Judaeos, pertinere negant. Et sane, non est dissimulandum, primum his solum patescantam esse, additis praemiis minisque illis, quae vix in aliam gentem, quam Canaanae incolam quadrant. Deinde insunt in hac lege, quae, ut non animadvertuntur ex communi rerum omnium natura esse ducta, ita non possunt intelligentia cuiusque pervestigari \*). Quoniam vero

\*) Lex de vitandis idolatriae generibus aperte respicit superstitiones religiones vicinarum Iudeis gentium. Illa de Sabbato et omittendo omni labore ad solos Iudeos, quoad determinationem diei et modi illius celebrandi, pertinet. Rationes vero cum generatim praemissae Ex. 20, 2. tum illa quanto praecepto speciatim addita, itidem non nisi de peculiari ita DEI gente intelligi possunt. Reliqua vero omnia ex naturali illo nexus humani generis cum DEO, atque ex eo principio I. N., neminem laede, ducta sunt: ergo etiam

vero leges hae & in se sanctissimae et optimae sunt, et cum natura-  
libus §. 53. evidentissime convenient: recte a plerisque Theologis  
tam-

etiam obligationis naturalis. Quare nemo aequus rerum arbiter facile vel  
CLERICО in commentario suo, vel SPENCERO temere assentietur, qui  
leges prioris tabulae omnes aduersus idolatriam, eo tempore latissime fu-  
sam, latas esse; alteram vero non nisi politica Democratisa instituta con-  
tinere opinabantur, nihil vero ad moderandum animum, nisi subtiliter in-  
genioseque explicata, facere. v. reliqua *de leg. Hebr. rit.* p. 28-40. Effet  
vero multo adhuc magis hoc loco aduersus *Antinomos* disputandum, qui le-  
gis externae necessitatem ac utilitatem in his, qui Evangelio sancti redditи  
essent, negabant. Certandum erat cum hoc genere hominum jam Lutheri  
et patrum memoria; superiori saeculo in Anglia et recentiori aetate cum  
variis portentosi ingenii & novam reip. christianaе formam meditantibus ho-  
minibus; quorum vero omnium historiam, & argumenta hic referre, haec  
vero refutare, ut nimis longum esset: ita lectores ablegamus ad S. V.  
SCHUBERTI *Theologiam polem.* Tomo IV. p. 3. ff. ad S. V. WALCHII  
*Einl. in die Rel. Streit. der Luth. Kirche* I. 109. 329. III. 96. IV. 239. 244. 463.  
IV. 242. Laudandum est in Theologis nostris studium, sanctam tuendi maje-  
statem ac auторitatem legis divinae aduersus eos, qui voce Evangelii abusi  
item Gratiae, malis hominibus freна laxant ruendi in omne nefas; sed nec  
diffitendum, multos durius quid lex sit, enuntiasse, dum cuperent, praef-  
stantiam Evangelii prae lege afflere. Videntur autem de lege disputantes,  
moralem cum mosaica generatim commiscere et oeconomiam legalem haud  
satis ab evangelica sejungere, quippe quae aequo minus lege caret atque  
illa Evangelii expers erat; alii etiam ea, quae Paulus aduersus Iudeos,  
in observatione ceremonialium legum omnem salutis spem collocantes, di-  
sputat, promiscue de lege generatim accipere. Accidit hinc, ut vel ipsum  
legis vocabulum nescio quid duri & acerbi? multis sonare videatur, Scilicet  
multa inter pugnae animorumque ardore dicuntur acerbius atque adeo te-  
merius, quae nefas faciunt posteri, quodsi ex his quae saepius tantummodo  
per ἀνθολην ἀνεγέρτη primum dicta sunt, formulas normasque loquendi constan-  
tes faciunt. Cujus generis non pauca exempla suppeditari possent. Ita hic  
quidem velle, aboleretur vox quibusdam familiarissima, qui alias rectissi-  
me

*tamquam leges divinae universales tractantur*, Christianis commendantur et explicantur. Sed opus est in primis interpretatione sagaci et justa, ut ea decalogi praecepta regulae fiant, ad quas internas externaque suas actiones omnes Christiani insituant ac moderentur. Ita, quoniam pleraque illae leges ea forma sint descriptae, ut actiones turpes severe nobis interdicant: multo magis credendum est, D E V M libidines illas, quae pravitatem istam externam ex se gignant, interdixisse nobis. Exod. 20, 17. 18. Quod etiam si Servator, optimus videlicet verborum suorum, sanctissimusque legum omnium interpres, exemplo quinti et item sexti praecepti Matth. 5, 22. 28. minus nos edocuerit: tamen facile a quolibet concludendum erat, qui effectus abhorret, multo magis caussas & radices illorum malorum elisas velle. Quo magis eae leges omnes ad mentis purgationem, divinitus cunctis imperatam, quidquid dixerit SPENCERVS adversus hanc interpretationem, sunt referenda, quod sine hac, perperam mandaretur honestas sanctitasque externa, praesertim a sapientissimo sanctissimoque legislatore Iac. 4, 2. Huic consentaneum est alterum boni interpretis munus, ut lege aliqua

me de gratia evangelica sentiunt: *gesetzlich, legale*; pro quo mallem *jüdisch* seu *pharisaischgegent*, *werkverdienstlich*. Liceat ergo mihi citra invidiam monere, me non iisdem stricte formulis usurum esse, quae de oppositione Legis et Evangelii inter se, in *solida declaratione* p. 592 ss. ed. *Rechenb.* stabiliuntur Sic n. IV. p. 596. aliquis cogitare posset, legem naturalem observanti nulla prorsus praemia speranda, et adeo nihil boni observando legem obtineri posse, sed esse omnem ejus vim ac utilitatem in terendo positam, et minis poenarum atque irae divinae ab homine obsequium extorquendo. Quid enim, an non etiam sua praemia et bona cuique actioni sunt, quae legi conformis est? An non illud: amato Deum Dominum tuum ex toto animo, etiam lex est? quod, dum quanto possunt, studio observant hi, qui sunt evangelicae doctrinae expertes, annon etiam Deum remuneratorem sperare possunt? *Credendum est enim ei, qui ad Deum accedat, Deum esse, et sui fiduciosis praenia rependere* Ebr. 11, 6. Sed καὶ οὐτε γένος vere dici haec potuisse, largior, non vero simpliciter hac formula hisque ipsis phrasibus utendum esse nobis hodie arbitror (§ 12. 13)

aliqua omnia, quae cum ea connexa sunt, quaeque ex actione ea aut mandata, aut prohibita, naturali consecutione fluunt, explanando complectatur. Quam quidem legis divinae latitudinem (תְּנַשֵּׁת הָלֶל Psaltes vocat, Pl. 119, 96. atque sensus ejus, spiritualem mentem fundentes Rom. 7, 14. dies noctesque meditabatur Pl. 1, 1 sq.) mirandum est, qua sollertia carus D E O et optimo cuique vir, Lutherus Catechismo in primis suo majore sit assequutus, tam misera prae tertim *ēgūveras* ea aetate conditione.

## §. L XIV.

Quoniam Christus Rex noster et Dominus est, voluntas ejus, quacunque forma nobis declarata, instar legis esse debet, sive illam quidem praecipiendo et exhortando, sive alio modo patefecerit. Immo, quoniam multa, a nobis perficienda fluunt ex ordine salutis consequendae, quem ipse nobis prescrivit, quemque naturalis vis animi ignorat: sequitur, observare debere christianos praecpta multa, ad quae alii homines nequeant obligati censeri. Sic, ut ut precum officium naturale habeatur a multis: novum tamen est, *in nomine Christi id solum fieri a Christianis debere*. Hoc enim dubio caret, α) Christum potestate nobis, civibus suis imperandi, gaudere. β) Promissiones et minas conjunxit cum suis pracepitis, et facultate etiam pollere, quidquid vel pollicitus, vel minatus fuerit, praestandi, atque adeo nos perfecte obligandi. γ) Suas adhortationes ἐπιτολας ipsum appellasse Io. 13, 34. 12, 48-50. Luc. 10, 16. Apostolos vero auctoritate Iesu divina ista scripsisse atque adeo DEI verbis cum fidelibus egisse 1 Thess. 2, 13. ipsosque leges, quas tamquam legati dabant, a consilio suo privato distinxisse (§. 63. Schol.) 1 Cor. 7, 10, 25 - 40. Quoniam igitur Christus, Deus voluntatem suam clare de actionibus Christianorum liberis significavit et quidem motivis adjiciendis: hoc vero *Legem ferre* sit, si superior et juste imperans severe declarret, velle se, ut hoc faciamus, illud contra fugiamus (§. 51.) fatendum est, *Christum civibus suis veras*, imo vero *novas etiam quasdam leges* fixisse. Neque enim video, cur imperatam Baptismi et coenae celebrandae sacras ceremonias leges esse negare nos oporteat, aut illas item actiones sanctas, quas

numquam ratio per se perspectura fuisset. Teneamus modo, non unam fuisse hoc, multoque minus principem caussam adventus sui; quamvis ab ipso necesse esset consuli humano generi regulis sanctis et absolutis actionum bonarum ac justarum in tanta legum naturalium, sive pii et justi cum naturalis tum civilis, ipsos inter Judaeos ignorantia perversissima atque horrenda.

Quapropter, cum Servator auditores suos jubeat inimicos amare Luc. 6, 27. aut Matth. 5, 39. malo resistere vetet, cap. vero 16, 24. tolli ipsius crucem a cunctis velit, qui nomen ipsi dederint, professionem adeo cum vitae periculo doctrinae sua edicere; diurnis praeterea nocturnisque precibus a nobis vacari velit Luc. 18, 1. vetetque, quemquam ad sacra sua amplectenda vi et armis cogi Luc. 9, 54. Matth. 13, 24. 10, 6, 67. hoc sane extra omnem dubitationem est positum, haec omnia, tamquam officia ab ipso nobis imperata, sancte religioseque esse observanda a singulis nisi omnibus beneficiis gratiae privari, quam ipsi dicto esse audientes, malint. Et in his quidem et aliis nihil eorum, quae leges constituant, desideraveris, quam *poenas externas*, i. e. eas, quae morali seu spirituali Regis nostri imperio parum convenientia Io. 18, 36. quamquam et his concilianda primis coetus christiani moderatoribus divina auctoritas locum ad aliquod tempus fecerit 1 Cor. 11, 30. 5, 1-5. coll. 10, 5, 16. Quare recte etiam Theologi affirmant, ethicam christianam hoc etiam philosophicae praestare, quod illa quidem *multo plura* quam haec, praecepta & officia traderet \*).

### § LXV.

\*) Fateor, abstinere me potuisse a legum vocabulo. Sed tamen accommodatum id morali disciplinae itemque officio Christi regio videbatur. Quin, ipsa in Apologia A. C. Evangelium mandatum dicitur, fidem praincipiens edit. Rechenb. p. 133) Nemo autem non intelligit, quam longe absim a Socianianorum sententia, qui, ut munus Christi expiatorium, tam clare et toties confirmatum in S. S. labefactent, statuunt, ideo mittendum fuisse Christum in mundum, ut humanum genus, quod ratione duce aut aliunde, quam ex revelatione Deum et recte agendi normam cognoscere potuisse negant, et rectum Dei cultum & officia edoceret. Fortassis vero erunt, qui omissa *legum* voce malint dici, Christum praecepta primae et secundae tabulae uberioris decla-

## §. LXV.

Christum etiam alia, quam hac praecise directa legali forma et ratione, varia sanctitatis officia nobis commendasse, probant illa loca, in quibus vel simpliciter DEO eam actionem gratam, vel etiam praemiis aeternis, immo praesentibus dignam videri, affirmat. Quod de misericordia in cogenos exercenda, de placabilitate erga hos, qui nos ullo modo laeserint Matth. 25, 34 sqq. 6, 14. de professione constanti doctrinae ac pietatis christianaе 10, 32. item de aliis virtutibus 5, 3 sqq. ita palam est, ut nihil opus fit, verba ipsa adferre: quemadmodum et ea praeterimus, quae ex minis Christi duci possunt, ut est v. c. locus ille, in quo de scandalis vietandis severus est Servator Matth. 18, 6. et aliis de sponte deserendis tempore vexationis, parentibus ac conjugibus Luc. 14, 26. rel.

K 3

## §. LXVI.

declarasse, et, quo facilius fervarentur a suis, efficaciora subsidia commendasse. Quibus ego libens lubensque subscribam.

Aequa ardua est quaestio, num sint in V. F. maxime vero in N. T. LEGES POSITIVAE UNIVERSALES? *Positivae* vocantur, non quod omni *ratione objectiva* careant, sed tantum quod ea, quae possit a nobis intelligi ex natura rerum. Quoniam igitur non ab omnibus cognosci possunt, sed ab his tantum, quibus sunt patesfactae, *particulares* sunt. Nulla enim lex esse aut norma actionum cogitari potest, nisi quae innotuerit civibus. At, quatenus ab iis omnibus, quibus earum revelatio in S. Scriptura obtigit, servari debent, recte intuitu Christianorum omnium, *universales* appellari possunt. Sunt vero illae 1) Lex de celebrando religiose die Sabbati 2) de Monogamia Matth. 19, 4. 3) de divortio fugiendo v. 6. 4) de imperio maritali Eph. 5, 33. 1 Pe. 3, 5. 6. 5) de gradibus prohibitis Lev. 18, 6 ff. 6) de poena homicidii Gen. 9, 6. Quatenus harum legum quaedam in N. T. sunt repetitae, eatenus Christianos quoque obligant. Num vero naturalis etiam sint obligationis, perobscura est quaestio, quam fusius et accuratius ideo Tomo VIII. *Etb. Mosb.* tractatam a me altiusque repetitam esse §§ 7.14-18. 40. 41. non mirabuntur lectors. Quare, quoniam paucis verbis in tam ancipiti re meam hic mentem declarare nequeo, mittere hanc disputationem hic cogor.

## §. LXVI.

Refero ego quidem, ac fortasse novo exemplo, ad fontes cognoscendorum officiorum pietatis christiana, expositas nobis in S. S. precum formulas. Nam ex his quum discimus, quid a DEO petendum sit, intelligimus: quae bona nos appetere maximo studio et consecrari debeamus. Nam si quae a caelesti patre dari nobis cupimus, ea desideramus. Quia propter, cum edocti a Servatore, Deum rogamus, jubeat nomen suum sanctificari, regnum adventare, fieri in terris voluntatem suam, quemadmodum a beatis inentibus in caelis: prospicere nobis dignetur de vietu quotidiano, veniam impertiat nobis criminum, prouti nos quidem his, qui in nos deliquerint, demus; caveat, ne ad peccata sollicitemur cert.; profecto consentaneum est, ut Theologus has et affines leges hinc colligat: quemadmodum oportet Christianos omnibus veris bonis consequendis operam navare, neque vero desiderare, ut DEVS ea nobis aut inertibus otiosisque, aut nolentibus invitisque quasi obtrudat: ita officium eorum est. conniti, ut in his virtutibus quotidie proficiant. Nisi ergo omnia me fallunt, rectissime ab illis factum est, qui ex sacra hac formula haec et alia Christi data suis pracepta derivaverunt: 1. oportet Christianos animo, intelligentia et virtute exornando ante omnia dare operam, quia sine his gloria Dei amplificari nequit. 2. Ad hanc vero referenda sunt omnia. 3. Promovenda est omni modo salutaris toti orbi Christi religio. 4. Enitendum est piis omnibus, ut omnem vitae actionem ad DEI voluntatem dirigant, huic vero se vicissim adversis in rebus totos submittant. 5. Non esse abiciendam externae felicitatis laboriosam prudentemque curam; fugiendam modo anxiam aut nimis sollicitam. 6. Colendam esse cum omnibus pacem, exercendam placabilitatem in tam fragili hominum virtute necessariam. 7. Cavendum esse ab omni vitii malique aditu et fas esse, etiam corporis ac fortunae mala justo modo propulsare. Et quae sunt his similia in apostolorum epistolis.

## §. LXVII.

## § LXVII.

Scimus, communibus in libellis ethicis et saepe pro concione sacra, facta hominum, sanctitatis alias laude insignium, *exemplorum* loco non ad illustrandum modo, verum etiam ad excitandum adhiberi. Qua in re ita sequor meum judicium fortassis singulare, ut malim in his exemplis adhibendis parcus, quam nimius aut largus videri. Nam primum nihil omnino sine lege, i. e. accurato cum illa consensu, probat exemplum. Deinde, pauca sunt in V. F. commentariis praesertim, hominum piorum facta, quibus non adhaereat aliqua humanae caducitatis labecula. Et quamquam in his abstergendis et multi et feliciter ingeniosi sunt post alios, nostra in primis memoria STACKHOVSIVS et noster LILIENTHALIVS; ille in *apologia historiae biblicae*, alter in *causa divinae revelationis*, Tomo maxime VI., malo tamen profiteri, haud semper acutis et aequis verae sanctitatis arbitris satisficeri, quibus videlicet magnae videatur in Scriptura S. utilitatis, persuaderi nobis tot argumentis rerum seu facti, non verborum tantummodo, necessitatem divini gratiae Dei conciliatoris: quum ipsis illi pii homines parum idonei fuerint, virtute plene exercenda atque constanter, ad illud verae felicitatis animique tranquillitatis culmen emergere et eluctari. Qua propter non dissimulaverim, quaedam Abrahami et Jacobi, pleraque vero Davidis facta non ea esse ad Christi leges exacta, quae debeant ad intuendum ac imitandum Christianis proponi. Immo sunt ipsius Paulli quaedam, in quibus caute verlandum sit, ut Act. 15, 37 - 39. 23, 1 - 5. Neque me poenitet mei judicii. Si cui enim vider minus favere honori sanctorum mentium, mihi in hoc vicissim placeo, quod legis divinae sanctitate et honore mihi nihil sit maius. Immo vero illud addendum puto, nec ea facta, quae jussu divino, exigente id divino consilio, ut Pinehae illud, aut ablatio rerum aegyptiacarum, aut denique exturbatio Chananaeorum ab Israelitis facta, permissionis universalis vim, multo minus belli, adversus infideles suscipiendi auctoritatem habere. Quod pronuntiandum etiam est de nonnullis factis, quae in S. Scriptura laudantur, ut Judic. 5, 25. 26. et plura cap. 11, 31 seq. ad Hebraeos. Ipse enim Servator declaravit, haud omnia esse indoli evangelicae oeconomiae

nomiae accommodata Luc. 9,54-56. Quid? quod nec ipsa illa, a multis perverse intellecta communio bonorum Act. 4,32. ad imitandum est proposita omnibus aetatibus, cum illo tempore prudentiae adeo fuerit, fundos vendere ob imminens Hierosolymorum excidium et totius provinciae vastationem; amoris vero, in communibus malis communi praesidio ecclesiae afflictae consulere. Quae qui legerit, facile intelliget, quam parum favere ego quidem debeam libellis illis, in quibus de vita et morte variis generis et sensus hominum, a pietate nobis, humano judicio commendatorum, exponitur. Nam non modo *decipit exemplar, vitiis imitabile* (H.O.R. Ep. I. ep. 19. v. II. exemplis id docente,) sed etiam constringit quasi virtutem, ne altius effugiat aut majora audeat, quam videat ab his praefixa, quos tamquam absolutae sanctitatis simulacula veneretur. Dixi scilicet ingenue, quid de illis sentiam alio jam loco (*Ethic. Moshem.* VII. 113. 377.)

## §. LXVIII.

Exemplum e contrario sanctissimi et merito nobis carissimi Servatoris ut absoluta omnibus numeris integerrimae virtutis imago, ita etiam totum nobis lex est, legisque explicatio. Quod posterius hanc vim habet maxime, ut, cum de vero sensu legis aliquis dubitetur, vitam Christi intueri debeamus. Quare, quoniam Servator infidias infensissimorum hostium saepius effugit: non est habenda abnegatio, quodsi et nos tempore vexationis fuga nobis contulamus. Deinde, cum alteram genam persecuti servi non offerret, intelligimus, quae sit sententia mandati illius Matth. 5,39. Et quoniam ipse convivia frequentavit & coetus hominum, et his interessit Christianos, fas est. Et versaretur jam quidem in ea imagine describenda suavissime disputatio, nisi jam bis alio loco in tam jucundo opere elaboravisset. Sed profecto, quid in summa copia orationis dici brevius aut glorioius, hoc posset Petri elogio: διλαθεν εὐεργετῶν Act. 10,38. Et tamen animadvertisendum est, non omnia facta Christi ejus esse naturae, ut doctoribus omnibus, tantum abest, ut singulis Christianis ad imitandum proponi queant. Quod ne Philosophus quidem mirabitur, quippe qui sciat, in unoquoque

que

que Individuo multa inesse, quae non cadant in plures: IESUS CHRISTUS vero non modo ipse Deus erat, sed etiam Dei vices in terris, tamquam in ditione sua, summa cum auctoritate agebat. Ex quo genere illud est, expellere mercatores ex aede, quamquam opus videbatur esse hoc mercatu ad sacrificia et publice is tolerabatur; item silentium illud coram judice, quod majestatis quippe erat, ad istam altitudinem super humana auctoritate se effarentis cum dignitate. Mitto alia, et in his illud, quod Herodem a veteratorio et ad insidias facto ingenio vulpeculam appellaverit. Qui enim recte hoc a me notari ambigeret, profecto numquam dixerit, et in hoc imitandum illum humani generis doctorem, quod alias in orbem terrarum cum potestate res humanis viribus maiores efficiendi ablegavit. Quid? quod, ne in hoc quidem exemplum est, quod supplex DEO in monte illo, justitiae divinae vindicis quasi quodam theatro, factus, animo ita laboraverit, ut facile martyrum quorumdam constantia victus videretur esse. Ille scilicet tot & tam atrocium rei flagitorum humani generis, personam sustinens, totus ad hunc sensum cohorruit: hi quidem laeti et exultantes ad placatum patrem et dominum JESUM aeterna gaudia offerentem, a malis properabant. Quo magis miranda est antiquae & recentioris superstitionis totque Sanctorum de Romana ecclesia levitas, qui jejunium illud Christi, pedilavium, item ipsam paupertatem aemularentur; quamquam non nisi tardissimis obtusissimumque ingenii obscurum esse possit, quibus singularibus, humanoque generi salutaribus maxime caussis haec et alia facta sint a Sotere. Sed videlicet ea est hominum perversitas, ut malint singulatitate illa vulgi oculos in se convertere, quam tota vita actione hoc omne sanctitatis exemplar 1 Pe. 2, 21. Phil. 2, 5. constanter exprimere. Illo nimirum nihil facilius in illa latente lautitia; hoc in quotidiana hominum consuetudine nihil magis arduum. Quare in ista aulica pompa Pontificem semel in anno pedes duodecim sacerdotibus lavare videns, vix sibi temperaverit ab acerrima indignatione.

L

§. LXIX.

## §. LXIX.

Haec vero latius me disputare oportuit de principiis normantibus virtutis christiana, quo palam fieret, quanto ingenio, quanta eruditione, quotque quibus praefidiis munitus ille esse debeat, qui justus officiorum nostrorum interpres esse cupiat. Et tamen nemo est, qui sibi ipse pius suisque videatur, quin id sibi sumat, ad sanctitatem consequendam ducem sese viaeque monstratorem Christianis praebere. Rident hi homines, arroganter saepe in sua inscitia aedificationis spiritualis specie abutentes, philosophicam Theologorum nostrorum *ἀντίστασιν*. Sed magno rei christiana et verae moralitatis damno rident, male de pia simplicitate merentes et auctoritatem imperitorum illorum, quibus mulierculae Francogallorum maxime superbunt, conscientiae Directorum affectantes. Verbo res confici potest: nemo de sanctitate Christianorum perfecta accurate praecipere potuerit, nisi bonus S. Scripturæ interpres. At nemo, nisi omni doctrinae copia instructus, felix interpres umquam exsilit.

## §. LXX.

Vocant plerique noui Theologi modo, verum etiam Philosophi CONSCIENTIAM internam actionum nostrarum normam. Recte vero dudum observatum fuit, phrases illas formulæque de Conscientia et ad intelligentiam, et ad voluntatem referri debere, seu esse illam considerandam partim tamquam judicandi de actionum nostrarum, ad legem relatarum, moralitate facultatem; partim vero tamquam studium et habitum, illas crebro et juste ad legem examinandi, ut illarum nobis vel rectitudo, vel pravitas patescat. Quo sensu posteriore eam nostri perquam bene die *Gewissenhaftigkeit* appellant; ex qua, cum omnis virtutis laus exsplendescat, agendum esset de ea in parte Ethicae, ubi exponitur de virtutibus erga se cujusque nostrum. Nos, qui illud priori sensu debemus accipere hoc loco, id unum monebimus, *Conscientiam, quatenus recta sit,* (i. e. verum de moralitate actionis nostræ judicium,) vix profecto differre a lege ipsa. Est enim tunc, nihil aliud, quam individualis applicatio regulæ universalis ad actiones nostras

nostras singulas. Atque hoc solo sensu Conscientia cujusque dici potest norma actionum. Quae, quamvis levior cuidam videri posset observatio, magnam tamen fundit in omnes partes Ethicae, et maxime casuisticæ illius, utilitates. Quaeri tamen potest, quomodo ex nostra observatione verum sit, *etiam ad errantis conscientiae dictamen esse agendum?* Nam quoniam Conscientia nihil revera aliud est, quam lex respectu actionis propriae; lex vero numquam migranda sit: consequitur, nullo nostro tempore fas esse, a conscientia, quantumvis secus, quam fieri deberet, legem aut interpretante, aut etiam applicante, vel latum unguem discedere, aut quidquam, quod illi repugnet, suscipere. Sunt ergo magna erroreæ conscientiae jura Rom. 14, 1 seq. et ex hoc uno intelligi aut explicari potest, quam vere Paullus de eo ipso tempore, quo inexpiabili odio in nascentem rem Christianam, Pharisaico suo in avitos ritus studio agitatus, esset grassatus, affirmare potuerit, *στοιχη συνεδρία ἀγαθη πεπολιτευκεναι* Act. 23, 1. Cui affine est, nihil dubia conscientia esse committendum. Quid enim hoc aliud esset, quam audere aliquid, sive conforme sit voluntati divinae, sive minus? Quod profecto proprius abest a peccandi proposito deliberato.

### §. LXXI.

Quantumvis vero actio quaedam cum regulis his, hucusque allatis (§. 62 - 68.) inter sece vero apte conjungendis, consentiat: non est tamen vere sancta habenda, nisi eadem BONO etiam ex PRINCIPIO manaverit. Actio enim quaepiam quo magis est libera, hoc perfectior ceteris. At vero tum demum libera est, si inter plures aequi nobis possibiles, ob omnimodam suam praestantiam vincente ac eminente super cetera studia, Dei amore et per Christum glorificandi studio, liberrime fuit electa (§. 40.) Haec vero generosa libertas, de qua tam multa praeclare, verum ad ostentationem pleraque disputaverunt Stoici, non cadit in aliud peccatum, quam quod *purum sit a vitiis*, legibus supra allatis omnibus, oppositis et ab omni obsequio peccati liberum atque solutum. Quod sane nemo esse potest, nisi qui, quasi supplex Christum crucifixum intuens, atrocitatem et turpitudinem peccatorum vel mi-

nimorum cognoverit; verbo, cuius *poenitentia* vera fide perfecta sit redditia. *Deinde*, nullam bonam esse posse actionem, nisi a pietate profectam, sic cogitur: nulla actio bona est, nisi quae tota voluntati finibusque Dei consentiat. (§. 39.) Jam vero unus Dei finis est glorificatio sui: haec vero animum requirit totum ad perfectiones Dei conformatum: igitur omnis virtus a casta mente & integra profici sci debet.

## §. LXXII.

Nulla vero major in eligendo optimo actionum genere libertas intelligitur, quam quae vera ex FIDE proficiscatur. Nam qui hac gaudet, sive jam certus est de parte sibi Christo conciliatore, gratia Dei, atque adeo tantorum beneficiorum memor, in DEV M ardentissimo amore et studio feratur, necesse est; (ut LV THERVS noster aurea illa praefat. in ep. ad Rom. incomparabili sapientia declaravit) aut saltim communionis cum DEO, Christi beneficio consequendae, unice desiderio intensissimo tenetur (quam infirmam fidem vocant): atque adeo gratiosus apud DEV M vult esse et totus ei placere, ne sua culpa tot tantisque per Christum adipiscendis beneficiis privetur. Qui vero iustificatos esse se sciant a Deo, quaeso te, quomodo non peccatum omne, tantorum malorum Christo caussam, perhorrescent! quam contra Dei studiosissimi, qui ipsis, poena metu omni solutis, filiorum suorum dignitatem et beneficia, maxime hereditatis aeternae beatam certitudinem indulserit Io. 1, 12. 13, 1 Io. 3, 1. Gal. 3, 26. 2 Cor. 6, 18. quique jam eorum, tamquam liberorum carissimorum curam prorsus singularem agat atque eos per omnes fortunae casus, exercenda jam hac, jam illa virtute, quasi per quosdam gradus jubeat ad plenissimae felicitatis fastigium sensim sensimque ascendere. Rom. 8, 14. 17. 28. 1 Pe. 1, 3. sqq. Io. 16, 7-15. 14, 16. (Eth. Baumg. §. 86-96.)

## §. LXXIII.

Haec Christum et per Eum, DEV M ipsum complexa et omnia divina beneficia sua sibi faciens *fides*, *sui* practerea *cuique* verum inspirat amorem. Quidni enim illi non solum sua de felicitate et alte sentirent et bene sperarent, qui tantas res studio ipsius promoven-

vendae, Deum fecisse sciant? Quidni, inquam dies noctesque de ea cogitarent, qui minime ignorant, quantum agat ipsius procurandae curam, quantumque illi cumulum in futura illa vita paraverit Deus? sed qui ita ex Evangelio de vera felicitate sapiunt, anne possunt alia meliore ratione saluti suae prospicere, quam qua DEVS et Christus sanctissimusque Spiritus illi consultum voluerunt, liberando videlicet mentem malis suis, jungendo eam fidei amorisque purissimi quasi quibusdam vinculis cum Deo? *Corpus* vero annon is initiare ad sacram Dei cultum jam hic incipiet, cui persuasum fuerit, certo futurum esse, ut excitetur illud olim multo ornatius de terra et pulvere? Io. 6, 40. 1 Cor. 15, 42-44. 1 Pe. 1, 3. Phil. 3, 20. Qui autem hac mente sunt imbuti, fideles, non possunt non fide viatrice quotidianos de omni libidine ad terrena et fluxa se demittente, triumphos agere; quippe qui, tamquam a Spiritu S. illuminati, cujusque rei verum pretium et ad suam felicitatem rationem, mala rum vero rerum turpitudinem et damna immensa norunt, multoque majora recte & constanter nitentibus parata esse divinitus certissime sciunt, ut adeo *gratia*, i. e. nova animi emendati hac cognitione a Spiritu S. indoles et virtus, facile carnem, i. e. appetitiones sensuales mundique illecebras quasi quodam superpondio supereret 1 Io. 5, 4, et eo magis in dies supereret, quo constantius imperitiae spiritualis vitae vires usq; fideli excentur augenturque Rom. 6, 4-6. 8, 13. 2 Cor. 7, 1, 4, 16. Phil. 1, 9-11. Eph. 4, 15.

#### §. LXXIV.

Quoniam optimus Deum colendi modus imitando eum absolvitur: DEVS autem omnibus suis, quae ita largiter in homines effundit, beneficiis, maxime vero redēmptione Christi fecerit testatum, quanto opere humana felicitate delectetur: profecto fieri non potest, quin is, cui persuassimum sit, Filium Dei gratiam aeterni et praepotentis Patris omni humano generi iterum conciliavisse, omnes homines tam sincere amare, ut eorum felicitatem suam putet esse. In hac autem, quantum in se est, amplificanda ita totus erit, ut DEV M, qui homines externe interneque providentia sua et Spiritus S. beneficii felices reddere studet, imitetur, bene videlicet

de omni eorum prosperitate perficienda quotidie magis meriturus; tantum abest, ut vel pravo exemplo ac sermone, 1 Cor. 10, 32. 2 Cor. 6, 3. vel ullo alio modo saluti ipsorum, DEO tam carorum hominum, detrimenti aliquid adferat.

## §. LXXV.

Recte denique negant Theologi, ullum bonum opus fieri cogitarque posse, nisi in eo cogitando exsequendoque non modo bonus, sed nimurum inter ipsos eximios, vicissim *optimus* spectetur FINIS. Quotus enim quisque ignorat, multa ab hominibus magna cum honestatis pietatisque specie fieri, quae tamen alias gloriae, lucri alter, naturae quadam bonitate multi, incitati peragant. Ut vero non omnino haec, quatenus ad perficiendos nos aliquid conferunt, adeoque bona sunt, (§. 39. 53. n. III. IV. V.) sunt damnanda; immo vero commendanda etiam, quando quidem qui vel opibus, vel auctoritate polleat, is et sibi possit et aliis etiam (§. 73. 74.) de multis rebus commodius prospicere, quibus moleste caret humana vita ipsaque ad se ornandam sustentandamque virtus: debent tamen bona opera praecipue ex studio glorificandi DEI per Christum enasci. Jam, cum Deus glorificetur, quodsi motiva actionum nostrarum (§. 38) ex ejus attributis ita derivamus, ut intelligent omnes, nobis nihil magis esse persuasum, quam eum esse naturam optimam et sanctissimam: Rom. 1, 21. 25. 28. cumque hoc ipso etiam alii homines incitentur ad pietatem et obsequium erga leges divinas, atque adeo ad virtutum omnium exercitium: jam vero cum hoc non possit esse non conjuncta humani generis felicitas: palam est, sanctas actiones non alias esse, quam eas, ad quas studio Dei glorificandi per Christum, incitemur. (§. 4. 39) Matth. 5, 16. Phil. 1, II. 1 Cor. 10, 31. 32. \*)

## §. LXXVI.

\*\* Conf. hic praeclarissima b. SAM. WERENFELSI meditatio de Zelo in S. Scriptura ubique conspicuo pro una DEI gloria in Sylloge Diff. theol. p. 206. ff. (Basil. 1709) itemque huic vicina de incitamentis ad virtutem in S. S. obviis p. 229 ff.

## §. LXXVI.

Nihil ergo est, quod quis queratur, ita vero doctrina christianorum *negligi salutem cum nostram, tum curam perfectionis alienae.* Nam dum S. Scriptura jubet nos omnia facere propter gloriam Dei, atque adeo ea etiam officia ipsius amore incitatos praestare, quae nobis, quaeve aliis debeamus: profecto non de officio ipso, sed de eo, quod in illo efficiendo *proxime* spectare debeamus, quaestio movetur. Volunt ergo Theologi, nostram aliorumque prosperitatem, tamquam *fines intermedios*, ita subordinari gloriae Dei, cuius scopo suo ultimo, ut, dum nobis et aliis hominibus benefacere studemus, id conformiter Dei perfectionibus legibusque omnibus ita fiat, ut amare nos cum nosmet ipsos, tum proximum in Deo et relate ad Deum, appareat; non vero confusa spuriorum motorum cogitatione incensos nostram vel voluptatem, vel lucellum, vel gloriolae laudisque auram magis captasse, quam revera bene de nobis et de aliorum felicitate mereri voluisse.

## §. LXXVII.

Ex hac autem secundariorum, in se autem bonorum sibiique suordinandorum finium (nam quo plura bona actione una obtinentur, eo illa est perfectior censenda (§. 40) sapienti directione et quasi collineatione ad unam gloriam Dei, exsurgit pulcherrima illa SIMPLICITAS, (*ἀπλοτητα*) quam tantopere Servator noster commendavit Matth. 6, 22. 23. Col. 3, 22. multi vero, tamquam ingenii acumini, aut sapientiae prudentiaeque oppositam, non sine amplificandae scientiae rerum divinarum aliquo damno, temere in Christianis laudant. Sed certum est, veteribus etiam in carmine, illam *ἀπλοτητα* dissimilitudini rerum in unum aliquod corpus, invitatis veritate et ordine congestarum, opponi, non vero item, quod sciam, de imperitia dici. Cui enim Horatianum illud de fugienda rerum dissimili varietate in uno carmine, ex Aristotelis Poetica expressum, ignotum fuerit?

*Denique sit, quodvis, simplex dumtaxat et unum.*

Sed dixi de morali hac, ex qua omnis decor et dignitas virtutis explesdescit, simplicitate jam in Moshem. Eth. VI. 236. 252.

## §. LXXVIII.

## §. LXXVIII.

Supereft vero III. ut ostendamus, constans hoc bonorum operum exercitium, quo Sanctitatis christiana vim et pulchritudinem expressimus, possibile esse. Pl. 119, 11. 22. 32. 44. 56. Phil. 2, 13. 4, 13. 2 Pe. 1, 3. 1 Thesf. 2, 10. 5, 23. 1 Io. 5, 2. Quod eo modo facile ostendi potest, scilicet non postulaturum, aut tam severe mandatrum Deum sanctitatem fuisse, nisi omnino illa nullis viribus perfici ab hominibus queat. Ita vero lector, delatos nos esse vides in eum locum Dogmaticae, qui ut totus exponit de *Spiritu S. ejusque beneficis operationibus*: ita est etiam gravissimus. Sed tenendum est nobis hic tantummodo, ut de tam magna re recte sentiamus: 1) quoniam Sanctitas christiana una ex fide manet (§. 71. 72.), fide autem homines, qui neque illuminati, neque regeniti aut conversi sint, careant: non cadere posse in homines aliis majoribus, quam sunt naturae communis vires, instructos, bonorum operum exercitium. Quapropter is solus Theologus veram sanctitatem promovere censendus est, qui recte doceat de *conversione*, in cuius toto ambitu ad S. Scripturam describendo tam accuratus est MOSHEMVS tota parte operis secunda, ut non debeam in tam studiose tractata a Theologis nostris re iterum hoc loco versari. 2) Possibilis ergo est sanctitas depravato homini non quidem in fe, aut absolute, sed conditionate, i. e. recto usu verbi divini, Sacramentorum, precum et aliorum etiam sublidiorum, in quibus percensendis multa est Ethica Baumgarteniana §. 285-336. Observandum est 3) sanctitatem his plus, quam aliis negotii facessere, cum, quod quidam naturae quadam bonitate atque felicitate adjuvantur, in quos illud dicitur: gaudeant bene nati: alii adversa ex parte plus labis sive ex malignitate ingenii, sive ex parentum vitio, sive ex educatione et condiscipulatu, sive aliunde traxerunt; tum quod ipsa externa conditio illis facilius, his difficilius reddat sanctitatis studium et exercitium. Quod profecto nemo negaverit lecta MOSHEMII eruditissima disputatione in Ethica I. 342-572. Est vero 4) et temporis non nulla ratio habenda. Nam qui ex longiore jam tempore atque a prima aetate animum suum DEO veraeque pietati consecraverunt, hos longum et multiplex exercitium virtutum omnis generis

neris mirifice adjuvare certum est. Nam inversa ratione habitus cum recti, tum pravi repetendis ejusdem generis actionibus augentur et crescunt: ita quidem, ut consuetudo non modo in miram facilitatem, sed propemodum in alteram quasi naturam mutetur. In qua tamen beata virtutis quasi familiaritate id unum providendum est, ne temere, i. e. sine conscientia cum legis, tum recti consilii & incitamentorum, sanctas actiones suscipiamus. Ex quo consequitur, ut, quo quisque majori fide ac studio subsidiis gratiae in augenda rerum divinarum cognitione confirmandaque pietate et mentis ad DEVM directione et tendentia usus fuerit: ita etiam in sanctitate exercenda eo majores progressiones sit facturus. Num vero quisquam ad perfectae abstolutaeque omnibus numeris virtutis decus afflurgere et pertingere queat, otiosum est hic a me disputari. Tota enim lis, singulis fere a reformatis sacris, aetatibus disceptata, ad hoc reddit, quamnam tibi animo tuo perfectionis illius notionem, et quasi dimensionem informes? (*Eth. Mosh. IV. 481.*) Si enim ex Deo illam sanctitatem metiaris et exprimas, temere illam ab homine requireres, quae ne in angelorum quidem finitam naturam cadit. Quodsi vero addas, te eam intelligere, quae in hominem divinis praefidiis adjutum summaque fide utentem cadat, recte de multis affirmaveris, non antiquae modo, verum etiam recentioris memoriae. At idem largiare necesse est, quoniam in virtute aestimanda non modo perfectio *extensiva*, sed multo magis *intensiva* spectari debet, nullius tantam esse virtutem, ut omni ex parte cum omnibus, explicatis a nobis bonorum operum requisitis conveniat *1 Io. 1, 10.* Et tamen non modo τηρειν τας ἐντολας Θεος, (siquidem εβαγελιον *1 Io. 5, 2. 3.*) sed etiam αμεριπτωτοι *1 Thess. 5, 23. 3, 12.* ac ελαχηνεις και απερσιωτοι *Phil. 1, 9.* dicuntur veri I.C. cultores. Verum facile praevideo, novae liti illud a me additum: *quae quidem in hominem cadere intelligatur*, materiam praebitum. Quare lubens totam hanc quaestionem mitto, qua utilius multo est, exhortari nos invicem, ceu decet fratres, ut quantum maximum studium in consecranda sanctitate collocent, neque dubitent, quin DEO, pie audentes clementissime adjuvante, pro-

xime ad caelestis illius vitae, quam olim aeternum victari sunt, gradum accedant, atque adeo jam hic caelitum vitam, Enochis instar, agant. Quo dici de humana natura magnificerius nihil aut divinius potest \*).

## § LXXIX.

\* Id unum addendum puto, quaestione de impletione legis aliam formam induere, prouti vel disceptanda est cum nostris: vel cum Pontificiis, vel denique cum Socinianis et Arminianis, quorum posteriores et legem servari posse, quoniam Deus impossibilia non fuisse postulaturus, affirmant et concupiscentias, modo non sint voluntariae, in peccatis referri debere negant. **EPISCOPIUS** in *repons. ad LXIV* quaest. Tom. 1. part. 2. opp. p. 18. et p. 404. et **LIMBORCH** *Theol. pract.* p. 657-664. conf. etiam **WALCHII Rel. Streit. außer der Luth.** K. III. 664 ff. Quid de perfectione fideliuum, quam multi in legalem & evangelicam, partium & graduum, subjective & objective spectatam cet. distinxerunt, maxime in Speneriana controvèrsia sit judicandum, idem Ven. senex accurate exponit in *den Streitgk. der Luth.* K. II. 400. ff. 756. conf. **QUENSTEDTI** *Systema Theol.* Tomo IV. *Quaest.* V. p. m. 40. ff. ed. Vitemb. quartae. Maius momentum ad constitutandam Orthodoxiam ethicam habet gravissima illa quaestio de viribus hominum naturalium in servanda lege. Et primum quidem non est alienum ab hoc loco, notasse, philosophos veteres, quantum ego quidem sciam, in duas partes abiisse. Eorum enim quidam sciebant, *virutem a cuiusque voluntate pendere horumque sententiam* **HORATIUS** L. I. ep. 18. v. 111. *expressit:*

*Sed satis est orare Iovem, qui donat et auferit:*

*Der vitam & opes; aequum mihi animum ipse parabo,*

Et quis illum locum in *CIC. de N. D.* III. 28 non tenet? *A deo tantum rationem habenus, si modo habemus; bonam autem rationem, aut non bonam, a diis et c. 36.* Atque hoc quidem omnes mortales sic habent: *Externas commoditates - omnem denique commoditatorem prosperitatemque vitae a diis se habere: virtutem autem nemo unquam acceptam deo retulit.* Idem censebat Stagirita et alii, quorum sententias refert **HUETIUS** in *quaest. Alhet.* p. m. 132 ff. *Alii vicissim virtutem a Deo petendam esse, gravissime contendebant.* Et in his miror **ANTONINUM** esse, qui, quamquam Stoicus, tamen etiam haec,

## §. LXXIX.

Progrediendum jam esset in hac, quam ingressi sumus, via ad singula de officiis erga Deum, nos ipsos et alios obseruandis capita;

M 2

item

haec, quae sunt *ipso iuuu*, ut animi moderationem ac aequitatem, precibus esse efflagitanda praeceperit v. *as tauru* L. IX. §. 40. p. m. 205 ed. *Woll.* in hoc adeo dissentiens a *SENECA* ep. 41. qui tamen eodem loco ait: *benum virum sive Deo, eum inhabitante, nullum esse.* Suspicio ergo ego quidem, Senecam preces externas ideo reprobare, quod Deum propiorem in nobis metu ipmis habemus, cuius igitur melius sit, impulsui obsequi, quam opem quasi extra se, accersere. Alia loca, Socinianos in ruborem pietate gentilium daturus, collegit *HERM. WITSIUS* in *oecon. foed. Dei cum homin.* p. 461. L. III. c. 12. de Sanctif.

Inter Christianos de facultate hominis naturali, verum ipsumque spirituale bonum, eligendi et perficiendi, tanto acrius inde a Pelagiiana controversia disputari necesse erat, quanto plura ordinis salutis capita ab hac una quaestione et modo eam decidendi, in systemate pendent. De ipsa lite nihil moneo, quum omnes libri nostrorum in Pelagiano et Semipelagiano errore confutando versentur. Addo unum hoc: Patrum fere omnes in extollendo libero arbitrio copiosos esse. Loca vide in *SUICERI Thes.* T. I. p. 577. v. *avtegenu* et *S. V. SEMLERI* Introd. in Baumgart. Polem. III. p. 378 ff. Scholasticos vires naturales et studio humano acquistas in virtute perficienda nimium extulisse, nemo mirabitur, cum hac sententia opus fuerit ad stabilendum B. O. meritum. Et parum abest, quin dicam, excusati fecisse in tam manca virtutis descriptione. Nam dum moralibus, sc. naturalibus, i. e. Aristotelicis virtutibus, tres tantum theologicas addiderint, fidem, spem & caritatem, et jejune has definirent, facile pares ipsis erant homines. Ad horum autem doctrinam Romanensis ecclesiae Semipelagianismus compitus totus est. Quam longe ab hoc systemate absuerint Synergistae nostro de coetu, et quibus argumentis a Theologis nostris oppugnati fuerint, optime ex *epitome* p. 581. et ex *solida declaratione in lib. symbol.* ed. *Rech.* p. 676 ff. intelligitur. Qui, quum Melanchthonem sequerentur, praecipitem tres esse conversionis caussas, verbum Dei, Spiritum S. et voluntatem hominis: docebant, trahi homines ad Deum, sed volentes et pro mediocri-

tate

item de officiis in *societate naturali, civili & ecclesiastica*. Sed video, fines libelli, quos mihi ipse scripsoram, supergressam jam esse disputationem. Quare vela contracturus summatim ea attingam, quae possunt et lucis aliquantulum ex hac tractatione accipere et disputatu neque inutilia, neque injucunda censeri. Et l. quidem in hoc, quod certe magnum existimari debet, prorsus eximiam se praebet morum doctori orthodoxy ethica, ut media is via, i. e. tutissima, incedat inter duo illa vitia, in quorum alterutrum prolapsi sunt plerique; illi quidem mollitudine quadam ingenii, hi asperitate naturae abrepti, ut vel minus postulent ab hominibus, quam praestare et possent et etiam deberent; aut plus oneris imponant, quam ut ferendis illis pares nos simus homunciones. *Laxitatis* illi, nimis *rígoris* hi jure insimulantur, quicumque plus naturae suae, (*temperamentum vocant*) quam certis principiis rectisque consecutionibus tribuere sueverunt, Horatiani illius oblii:

*Est modus in rebus, sunt certi denique fines,*

*Quos ultra citraque nequit consistere regum.*

Utrique vitio quasi e diametro opposita est EXACTA TRACTATIO, Francogallis la *Précision*. Est autem illa singularis cura cautioque doctoris, omnia officia ita ad amissim regularum, supra traditarum (§. 62 seq.) exponendi, ut nec plus, nec minus, in officio ponat, quam lege divina sancitum sit; neque etiam majorem in officiis servandis perfectionem poscat, quam quae vel summo studio adhibito, possit a Christianis obtainiri (§. 78). De qua re memini, ita ample me in praefatione T. VII. operis Moshemiani exposuisse, ut id unum videatur addendum, eos, qui nimis acres et severi sint in norma sanctitatis tradenda, revocare et absterrere homines ab audendo, quod frustra videant se in *reis adiutorios* elaboraturos; immo vero anxias et religiosas mentes, ad legis minas expavescentes, facile imperitia sua eo persaepe adducere, ut de omni salute sua desperent. Rursum

tate virium suarum obsequium hand detrectantes. (b. BAUMGART. Erl. der Symb. Schr. §. 119. n. 7. p. 322 ff.) Minime ergo supernaturalis auxili f. gratiae necessitatem negabant ad mentem sanctam reddendam. Sed de quaestione & re ipsa in polemica Theologia disputatur, digna, cui plus lucis adhuc et *angustus* addatur a Theologis doctis.

sus vero qui *lenius* et *mollius* cum hominibus, quam par est, agunt, ad vitia illos et tarditatem invitant. Uterque praeterea in summa unius Legislatoris nostri majestatem est injurius, *sive* inventas a se leges hominibus imponat, *sive* auctoritatem latarum a DEO audacius infringat et quasi incidat. Quod vitium nemo melius vitaverit, quam qui et supra expositas leges, et veras regulas omnes semper in promptu conspectuque habeat; et ea, quae §. 78 dicta sunt, observet, et denique *CICERONIS* illorum, de ordine et gradibus officiorum graviter pronuntiatorum *Off. II. 18.* numquam non memor sit; haec igitur et talia circumspicienda sunt in omni officio: et consuetudo exercitatioque capienda, ut boni RATIOCINATORES OFFICIORVM esse possimus, et addendo deducendoque videre, quae reliqui summa fiat, ex quo quantum cuique debeatur, intelligas. Quam legem, immo artem, utinam multi, quos vocant, *Cajusitiae* non ignorassent, quorum errores in utramque partem facilius est larga copia colligere, quam semper evitare. At nolo ad hos, quamquam in manibus sunt, orationem deflectere, sed potius generatim quaedam, quae in ipsis morum doctores cadant, illustrandi caussa adferre, quae augendae scilicet circumspetioni nostrae queant inservire.

## §. LXXX.

Et laxioris quidem Ethicae doctorum primum notandus error est, i. e. eorum, qui nimium hominum libertate soluta, vagari quasi eos patiuntur. In quod vitium illi incurruunt maxime, qui 1) minus lege divina definitum putant, quam est revera definitum. Ex hoc genere illi sunt, qui de, nescio quibus *indifferentibus* seu mediis *actionibus* inconsideratius et temere disputant, quasi vero ac si non omnes omnino actiones liberae lege, siltim mediate essent definitae, haberentque aliquam vim *sive* ad augendam, seu minuendam sanctitatem, habitusque bonos vel confirmandos, vel frangendos. Longo esse mihi in hac re illustranda licet, nisi recens esset inde a pietisticis litibus illius certaminis memoria. Sed fortassis sublata *vocum* dissensione, de rebus ipsis facile conveniretur. Dignum tamen esset bellum illud adiaphoristicum Saec. XVI. quod a viro acuto

M 3

&amp; ae-

& aequo arbitro dextre exponeretur. De altero genere mediarium, ut videntur vulgo, actionum egi in loco de oblectationum moralitate *Tom. VI. Eth. Mosh.* 2) Quotus quisque est adeo hospes rerum humanarum, quin fama saltim et auditione perceperit, Jesuitas non a nostris tantum, verum ab ipsis sui coetus hominibus et *JANSENII* in primis assaeclis, corruptae universae rei moralis reos citari? (*SALIGII hist. A. C. II. 174* sqq.) Et agitata haec causa fuit acerrime non modo Saec. XVI. sed et quam maxime in litibus Jansenisticis, in quibus infamia facta sunt nomina *Probabilismi*, *methodi dirigendae intentionis*, *aequivocationum et restrictionum mentalium*, *peccati ignorantiae et oblivionis* rel. Sed ut ut nemo in hoc instru-  
ctissimo ac pugnacissimo Rom. Pontificis militum agmine inveniretur, qui ingenio *PASCALIVM* vinceret: non defuerunt tamen ita causae sue, ut non illam satis bene ornarent. Ita v. c. *Probabilismum* suum ita purgant, ut dicant, in iis rebus, quas nulla lex clare definit, ut est alea, sequi rudes posse auctoritatem ac sententiam eruditii cuiusdam viri, vel affirmantis, vel negantis, illud, de quo dubites, fas esse. De *reservatione mentali* monent, eam adhibendam esse in eo jure jurando, quo promittere aliquid cogare, quod repugnet gloriae Dei. Mitto alia, atque lites etiam illas de ritibus Sinicis. Sunt 3) qui Arminianos levitatis alicujus in describendis officiis Christianorum insimulent: ob hanc, ni fallor caufsam, quoniam is, qui servari posse legem ab homine affirmet, non debeat ardua praecipere (§. 78. not.) Fateor vero, me nullum erroris hujus vestigium in *LIMBORCHIO* detexisse. 4) Jam, quodsi ire licet per singulas partes officii christiani, certe non defutura essent in libris variis mollioris disciplinae exempla \*). 5) Quam vero

\*) Eliduntur vero etiam nervi sanctitatis christianaе vitioso tractandi modo, quod si v. c. quis argumentis infirmis et leviter tantummodo necessitate poenitentiae et vitae sanctioris probet; aut ea adhibeat virtutis persuadendae motiva, quae alia vitia aut gignant aut alant, qualia sunt a gloriae studio deta incitamenta. - Nam frustra vitium vitaveris illud, si te alio pravum detorseris. A quo periculo maxime illi sibi cavere debent, qui Primum vitam in illa voluptatum affluentia moderari sana doctrina deberent.

Et

vero sibi homines ad omnem licentiam frena laxent, et quam subtiliter ad purganda sua vitia, blandientem pietatis formam commiscentur, dictum est singularibus libellis a b. Rambachio, Engelshallio et aliis. Quae inter non alia magis animos vitae flagitiis constrictos tenet, quam falsa illa de conversione persuasio, quam in tristiori vultu, ubi ad S. coenam accedere volunt, permulti unice ponunt. Falluntur vero etiam illi inter nostros, quos saepe audiimus dicere, disciplinam Romanensium nostra esse accommodatorem ad coercendam humanam libidinem et mentem a vitiis retrahendam. At hi quidem gravissimos eorum errores haud dubie perspicerent, quodsi scirent, *μετανοεσθε* ex ipsorum disciplina fere totam externe legalem esse, quippe una contritione, confessione auriculari et satisfactione humana absolvitur. v. IVRIEV *préservatif contre le changement de Religion* p. 69. sqq

### §. LXXXI.

Transeamus ad doctores, illis oppositos, qui, Charybdim vitaturi, nimio rigore suo in Scyllam incident, naturae quadam austernitate aut senii vitio abducti. In hoc vero periculum necesse est, illos ruere, qui aut nulla principia firma et certa tenent, aut male illa applicant, aut falsa adsciscunt. Atque his de caussis priscae eccliae

Et sunt, qui, cum non audeant, de poenitentia, de abnegatione mundi et sui ipsius, de justitia et aliis officiis graviter et severe, i. e. Christi verbis dicere, ita se accommodent ad altiores procerum ac divitum spiritus, ut malint cum Francogallis de nobili et elato super his rebus animo, quam cum Paullo ducta a reverentia DEI animi libertate, simpliciter de justitia, de castitate et de futuro judicio coram Felice aliquo profiteri Act. 24, 25. Adeo parcitur, delicatulo illi et superbo fortunatorum fastidio! quemadmodum accepimus, fuisse in aula vicina Ducis a sacris, qui hoc accessuro ad S. Synaxin, pro concione Deum deprecatus fuerit, „dignetur indulgere et veniam imperstire den christfürstlichen Stinden., O turpiter et mollissime obsequiosum hominem! Dandum est, fateor, quoad genus dicendi aliquid genio et moribus saeculi, sed tantummodo, quantum ipsa veri natura patiatur et insinuandi illius commoditas postulet. Nervos vero ipsos sapientiae caelestis incidere, id sacrilegum tibi esto. Id enim perfidi interpretis est.

clesiac doctores, quos Patres Romanenses vocant, in explicandis Sanctitatis christiana partibus gravissime lapsos esse, ita certum est, ut integrum librum BARBEYRACIVS (*L. de la Morale des Pères Amstel.* 1748. 4.) imperitiae in re morali testimonii refererit. Dedimus etiam et nos, ubi id opus fuerat notari, in *Eth. Mosh.* aliquot locis exempla, a multo insignioribus abstinentes. Sed universim Patres tribus maxime modis ab orthodoxia deflexerunt: *primum*, quod adscito Platonicō de mente humana somnio, purgationem illam asceticam & mysticam, tamquam unam ad perfectiōnē et unionem cum Deo viam commendarunt: *deinde*, quod discriumen illud inter *praecepta et consilia* a Platonicis traxerunt, quo tota moralis disciplina corrupta fuit (*Mosh. in Comment. de rebus Christ p. 310.*) Nihilo tamen minus falsissima haec praecipiendi ratio hodie adhuc a Pontificiis retinetur (*Eth. Mosh. VI. 191.*) *Tertio*, quod de externis officiis ita severē praeceperunt, ut nulla esse potuerit aut florere civitas, si Christiani cives in ea omnes ad istum rigorem sese compoſuissent. Quid enim, quaeſo te, eum non vetare oportebit, qui omne id in peccatorum numero ponet, quod non sit in S. Scriptura pro re licita declaratum, quique id prohiberi Christianis statuat, quo abuti aut tu ipſe, aut alii possent? An non ridiculus vir, ceteroquin magnus, videri debet Chrysostomus, qui, quo probet, impium esse illum, qui tunc regnabat, morem, aut canos, aut rufos capillos inficiendi alio colore, hoc sumſit, impie agere, qui quidquam naturae vel addat, vel detrahatur? Et tamen superiori aetate multi Theologi inter Batavos, Patrum istorum auctoritate decepti, pugnabant, nefas esse, capillamento aut crinibus adscititiis uti, cui de lana caprina certamini SALMASI librum, in levissima re eruditē *de coma conscriptum*, item SCHOOKII exercitationes de adiaphoris, de poculis votivis, de modo alendi comam et barbam, de vestibus, de musica organica in templis rel. aliosque libros hujus argumenti debemus. Quae si quis lubrica argumenta ita in re morali stabiliat, ut iis magnas et graves doctrinas de moderandis Christianorum actionibus superstruat, non potest non et ipſe labi et Christianis in vita quotidiana cum peccandi per-

cula

cula multa, tum cruciandi animi tristein occasionem objicere. Scilicet tam parum cogitant multi, qui docendi auctoritatem sibi sumunt, quam religiosum sit negotium, Christianis ademta, quam Christus ipsis peperit, libertate, jugum Mosaico gravius, ut Augustinus de suae aetatis doctoribus conqueritur, imponere. Et tamen hi olim in summo sanctitatis honore sunt habiti ab his, quibus omne sanctum est, quidquid singulare sit et a moribus vitae communis abhorrens, fuitque tempus, quo omnes admirarentur et sequerentur in Germania doctores Britannos, qui tamen gentis suae tristiorisque naturae severitate abrepti, ex Zenonis magis et Platonis, quam sanae rationis atque Evangelii lege, nullis adductis rationibus, tam rigide saepius imperabant. Et doleo, ipsum PLACET-TIVM tantum tribuisse ingenio, quo, ut Francogallus abundabat, & tam parum rectae ex veris principiis concludendi rationi, ut, cum vellet nobis persuadere, singulorum Christianorum esse, quos videant, aut potius, quos putarent peccare, hos *fraterna correptione* verbis castigare. Ita enim philosophatur (*in nouveaux essais de Morale* p. 622. ed. Germ.) Si inhumanum est, non monere, si quem videoas in praecipitum aut foveam procurrere: quanto crudelius ageres, si hunc non retraheres ab aeterno exitio, quem videris in sclera praecipitem agi. Scilicet illud periculum & a quovis potest intelligi & etiam citra odium vocati in perniciem moneri; hoc posterius autem non item. Mitto alterum ejus argumentum ab eo ductum, quoniam castigatio fraterna sit optimum genus eleemosynae, quae scilicet animo ipsi darentur. Cujus generis similia plura possem, si id opus foret, ex vulgaribus de pietate libellis adferre. Hos vero lapsus, nescio, an non turpius faciunt, qui simplicitatis, (cujus? id vero ignoro,) praetextu excusare audent. Quasi vero ac si orthodoxiae et veri studium, praesertim in re tam gravi, circa peccatum in gloriam Dei et in Christianos, negligi queat ab ullo, tantum abest, a Theologo! aut quasi non plurimum cum ad tranquillitatem et salutem singulorum, tam ipsius reip. interfit, quam recte, vel quam male quis de multis, etiam externis actionibus Christianorum praecipiat? Quoniam enim, ut uno exem-

plo id declarem, multi Theologorum de foenore, de luxu itemque aliis de rebus sinistre preeceperunt, abusi sunt BAILIVS et alii hac doctorum severitate in contumeliam proficuae et tam salutaris civitatibus, Christianae religionis, cum dicent, satis quidem pia esse illius preecepta, at parum publicae utilitati accommodata \*). Scilicet, id moris est his homuncionibus, undicunque arripere dicitatis materiam, ut, si legerint, a Socinianis, Mennonitis aut aliis singularum sectarum, quarum quaeque doctrinas ipsas suo *κυριως δογματα* accommodat, doctoribus poenas capitales, bella, iura juranda, moderamen inculpatae tutelae et quae sunt alia, damnari in Christianis, audacter id ipsi religioni sanctissimae tribuant. Sed ut in hos invehimur, ita nec nimis blande ac segniter iis de nostris parcendum est, qui vel interpretandi imperitia, vel tristiori natura, vel suo quisque scholae et sectae studio abrepti in devia, ita severa ac morose sine rationibus de vitae sanctae officiis preecipiunt, ut nil mirum sit, istam adeo naturae humanae disformem et atram christiana virtutis imaginem ingenii humanis displicere. Quid enim, amabo te, de poenitentia multi? Haud secus, atque Jansenii discipuli preecipiunt, qui se se tamquam S. poenitentiae victimas in portu illo regio assiduo ac lento cruciatu enecabant. Sed ex crescens libelli moles monet me, ut manum tandem de tabula,

### §. LXXXII.

Exposita a me natura et forma Theologiae moralis, facile jam ostendi posset, in quantum huic quidem cum ethica philosophica conveniat, in quantum haec ab illa vincatur. Id enim clarum cuique fieret respiciendo 1) ad preecepta, quae plura sunt & altiora in Ethica christiana, 2) ad modum cognoscendi; in illa non sine acumine ex principiis suis officia derivantur; in hoc leges plane sunt

\* ) BAILIUS *Contin. des Pensées diverses* T. II. § 123. p. 593 et *Reponse aux Questions d'un Provincial* Tome IV. p. 376 ss. et 417. Et tamen hic ipse interdum nescio quam severitatem affectabat A. in *Dictionn. hist. & crit. voc. Amphiarau* not. H.

sunt scriptae; 3) ad motiva; 4) ad subsidia, quae in hac divina et supernatura sunt (§. 17. not.) Sed quoniam est de hac re singularis, idemque perquam egregius C. F. HELVINGII libellus (*Graenzen der philosophischen und theologischen Moral* Hallae 1753,) et quia MOSHEMIVS idem hoc caput, quamquam brevius, (in Eth. I 11. et 59.) ii autem fere omnes, qui veritatem et divinam originem religionis christianaе assertum iverunt, pertractaverunt copiose et non nulli etiam ornatissime: nihil opus est studio nostro. Tantus certe inest in virtute christiana splendor, ut facile mihi accideret, elogia et commendationes multorum a sacris christianis hominum alienorum testimonia huc congerere, si id opus foret occupata hac iam sparta a rev. GVDIO in singulari ei pererudito libro: *paganus Christianorum laudator et fautor inscripto et Lipl. 1741.* in 4. edito cap. II. §. 9. p 70 79 Id unum observo, in hac quaestione tria distingui accurate debere: 1) quid ratio sana et studio eruditio & libero adjuta, de moribus recte praecipere possit. 2) Quid philosophi veteres de re morali disputaverint, quod unum ex historia philosophica tradi debet 3) quid recens a Philosophis in Ethica praeftetur. Quod sane maximam partem ad ipsius Ethicae christianaе laudem pertinet. Si quidem ipsa praecepta de Evangelio sunt in scholam traducta, in hac vero ad principia tantummodo rationis revocata.

## §. LXXXII.

Quae vero de principatu Ethicae theologicae, ejusdemque orthodoxae supra singulatum disputavimus, non debent in eam partem nos abripere, ut durius de omni virtute veterum, qui erant nullo revelationis propioris lumine collustrati atque adjuti, statuamus, (§ 5. not.) caveamusque potius nobis, ne Augustini auctoritatem magis, quam veritatis aut aequitatis sacras leges sequuti, omnia Aristidum, Socratum, Scipionum et aliorum juste et moderate facta *splenditorum peccatorum* nomine commaculemus. Quidni enim hunc probum virum judicemus, quem Horatius pingit:

Non possidentem multa vocaveris  
Recte beatum: rectius occupat

N 2

No-

Nomen beati, qui deorum  
Muneribus sapienter uti  
Duramque callet pauperiem pati;  
Pejusque leto flagitium timet:  
Non ille pro caris amicis,  
Aut patria timidus perire.

Nam, quemadmodum per se patet et ex supra disputatis clarissimum est (§. 61-76) fieri non potuisse, ut ullum bonum opus sensu christiano efficerint, atque adeo longius absint eorum virtutes a virtutis ea absolutione, quae cadae in veros christianos: non tamen exinde sequitur, in iis plane nihil boni aut quod DEO placuerit, insuisse. Act. 10, 34. 35. Laudavit potius Servator et centurionem istum, haud dubie Romanum, divinae bonitati et auxilio fidentem Matth. 8, 5 seq. et Samaritanum hominem, miseri illius, qui in fauces latronum inciderat, Judaei, (i. e. ex sensu illius, haereticorum) animo super errores populares elato, miserti \*). Nam primum, per-

\* Nolo dissimulare, me libenter hunc locum tractare et hanc caussam tueri, quo quantum in me est, illud odium religiosum et sectariorum de nomine christiano totum deleam. 1 Thess. 2, 15. Nam a me plane impetrare non possum, ut illorum sententiae subscribam, quae etiam Epictetos et Antoninos non ob aliam caussam, quam quod eo beneficio caruerint, quo nos pro dolor tam male utimur, aeternis suppliciis addicunt. Et tamen nemo eorum, qui ita duriter de myriadibus hominum statuant, fuerit, qui audeat de Samsone v. c. ejusque a morte conditione sinistre sperare, quem tamen nemo facile a pietate vera et constante commendaverit. Ut autem, quid vere sentiam, hic ingenue profitear, qui naturae praesidiis, mediocribus illis, in tanta saeculi malignitate usi fuerint, majori, quam quidem nostrum plerique, fidelite, an non de his durius statuere & invidiose, bono cuique religioni sit? An hoc Deus improbaverit, quod ratione tam laudabiliter usi sunt? Scilicet male in Scholis NATURAM, i. e. vires divinitus omni humano generi concessas, et a bonis studio et exercitatione auctas GRATIAE ita opponimus, ut videatur omne id vitiosum esse, quod non sit supernaturalibus Spiritus

S. ope-



perfectio major non excludit minorem. Deinde, ne Deus quidem ab his, quibus revelatio non obtigerit clarior, requisiverit eamdem, quam ab his, qui ea illustrati fuerint, perfectionem Rom. 10, 14. Quodsi igitur nonnullorum facta cum lege naturali conspirant, tantum abest, ut pro peccatis habere possis, ut potius in bonis ponere debeas (§. 39.) cum non sit dubium, quin Deus probos inter Graecos & Romanos homines secundum leges rationis iudicaturus, ita etiam remuneratus sit, quoniam nulla in eum cadit περισποληψία Rom. 2, 11-15. Cui consentaneum est hoc, ut,

N 3

quos

*S. operationibus*, (quae ipsae tamen mediatae sunt, et rectum usum facultatum nostrarum supponunt,) *productum*; cum tamen gratia naturam non tollat, sed elevet tantum, mentisque aciem inclinationesque illas naturales homini & proprias tantum dirigat, ipsoque affectus non extirpet aut quasi fibras illorum elidat, sed tantum moderetur & ad rectum finem & normam componat. Quia in re *dispositions* et aequitatem in multis desidero, qui *discrimen naturam inter et griam* definire voluerunt. Sed utecumque de hac mea haeresi existimant cordatores, habeo sane erroris non obscuros aut contemnendos socios. Nam Patrum quidem plerosque in mitiorem hanc sententiam propendiisse notum est et collecta sunt loca partim in libello *Traité de la vertu payenne*, qui adjunctus est francogallicae translationi Herois christiani a Steelio ita magnifice expressi; partim a VAYERIO dans ses Oeuvres Tom. V. P. I. p. 23. partim denique a LO. PRIDÉAUX in *opp. theol.* p. m. 199. ed. Tigur. et ab ipso QUENSTEDTIO nostro in *Syst. th.* Tom. I. p. 263. ff. Recentius vero non modo ERASMUS, sed etiam magni viri de nostris Theologis mitius de illis gentibus senserunt, quorum argumenta MEISNERUS in *Philos. sobr.* I. p. 475 ff. et item BROCHMANDUS in *syst. univ. Theol.* P. I. p. 9 ff. & 151 ff. exposuerunt. Sed fortassis jam nimis videor multis. Igitur hoc unum adjicere liceat, errores multos & insig- nes a Philosophis in doctrina de Deo & moribus admissi non in duriorem sententiam transferri debere, quum alias male etiam esset existimandum et de Iudeis & de ipsis Christianis ante gloriosissimam et beatissimam sacrorum repurgationem. A saeculo enim quarto aut quinto quae quantaque errorum in libris celeberrimorum doctorum seges! qui in ipso sacro ordine naevi!

quos probabile sit, magno studio vitam omnem ad justi, aequi et honestatis regulas compoluisse, habitumque sibi hac recte agendi consuetudine comparavisse, virtutis laude omni privare haud debeamus. Nam primum 1) in se possibile debet esse, legibus naturae obsequi (§. 62). 2) Conscientiae vis adeo non est, repugnante Paullo, (*ibid.*) neganda, ut potius certum sit, quod decorum honestumque sit, id per se hominibus etiam improbis placere, animosque omnium natura et specie sua commovere (cic. *Off. II. 9. de Fin. bon. et mal. V. 21.* et in *Laelio c. 7. coll. Ethic. Mosh. VII. 12 seq. et Praefatio BARBEYRACII ad Pufendorfii I. N. & G. §. 1 sqq.) factumque hinc, ut turpitudine vitae a se ante actae perfecta, multi ad frugem redierint, quorum exempla aliqua collegit **VALER. MAX.** 3) quod ni ita esset, fateor, me non videre, quomodo bonitas DEI erga genus humanum defendi a nobis posset, ut quibus abunde et largissime prospexit de vitae commoditatibus, integris vero civitatibus opum et gloriae magnitudinem tribuisset, scilicet re longe majorem in modum ad felicitatem veram pertinente, i.e. virtutis consequandae facultate, non consuluisse eximie. Sed consuluit profecto excitando egregia ingenia, de rebus divinis humanisque praeclarissime praecipientia & nobili id quidem dicendi genere. 4) Confitendum itaque est, ut, quemadmodum Cornelius ille in actis apostolicis c. 10, quamquam Romanus miles, religiosus ac timens Deum cum tota sua domo, v. 1. 2. acceptusque adeo DEO, fuerit, v. 4. atque non possit dubitari, plures ejusmodi Naemanes et Cornelios esse potuisse: haud secus, atque corruptissima Ahabi aetate aliquot millia supererant, arcano cultu cum Elia unum DEVM venerantia: confidendum, inquam est, virtuti naturali locum esse relinquentium, immo etiam cuidam bonarum mentium in Deo fiduciae (§. 63. not.) Quinam vero pro hominibus vere probis, quaeque eorum facta pro bonis sint habenda, id vero tamquam res facti, ut loquimur, alias loci est disputare et definire. Nam quod dunt 5) multi, omnia illa ad speciem recte facta, ex solo gloriae captandae studio fluxisse, id viderint, qua aequitate affirmare queant, internorum ac abditorum in pectore consiliorum ac motuum,*

non

non perscrutatores 1 Cor. 4, 4. 5. Quidni crederes, fuisse inter eos,  
de quibus illud vere?

Oderunt peccare boni virtutis amore.

Ut ut igitur 6) pro dolor exploratissimum sit, Philosophorum ipsorum plerosque parum probe vixisse (*NEPOS in fragm. apud LACTANTIVM Instit. div. III. 15. n. 10. ed. Bünnem. p. 343.*) durius tamen Philosophos veteres omnes et eorum sapientiam, sane in Ethica magni faciendam, carpentem cīc. *Tusc. II. 4.*) certumque fit, non Platonem modo, sed ipsum Socratem injurios in DEVM unum, quem cognovissent, fuisse (*Etb. Mosh. I. 100 seq.*) 7) et quamquam interdum optime ac pulcherrime de Deo multa, quae Pfannerus, Huetius, atque Petavius collegerunt, disputaverunt, de officiis vero et virtutibus, maxime externis quaedam praeclarissime: tamen et de re divina multa perverse (*cīc. N.D. I. 1*) et de providentia in primis, de immortalitate vero animi Plato, Cicero aliquae fluctuante sententia, (*Tusc. I. 9.*) i.e. de illis capitibus dixerunt, ex quibus nervi verae virtutis fluunt: atque adeo de Philosophia sua nimium gloriati sunt: (*cīc. Tusc. III. 1. II. 4. SEN. ep. 16*) tamen, quia saepe error opinionis ab animi bonitate vincitur, neque falsae sententiae semper cum malignitate aut impietate sunt conjunctae (ut ipse Ciceron de Epicuro, quem tamen ut Stoicus, tam inhumaniter rodit, fatetur de *Fin. bon. & mal. II. 18.*) tuitus est, a condemnatione singulorum, quanto magis integrarum gentium abstinere. *Luc. 6, 37.* Contra vero ea constantissimo sanctitatis studio cavere, ne illud Servatoris a nobis neglectum, exitio sit: *cuicunque multum traditum fuerit, ab eo multum exigetur: et quanto cuiquam plus commissum fuerit, tanto plus ab eo reposetur Luc. 12, 48.* Quo magis nobis adjuta gratiae divinae enitendum est, ut, qui tam sanctam tamque divinam et salutarem omni humano generi, profiteamur doctrinam, spirantes ejus et vitae, a IESV, domino nostro, sanctissime gestae effigies evadamus.

Lumi-

**L**umina quid jactas Hellas cupidissima laudis  
 Pictorum, artifici non imitanda manu?  
 Decipulas volucrum pictas quid Zeuxeos uvas  
 Zeuxea deceptum Parrhasioque crepas?  
 Cur anadyomenen pelago dementis Apellis  
 Cyprida tu Coam tollis ad astra poli?  
 Spurca Venus, nudam, pathicus quam pinxit Apelles,  
 Rectius aequoreis illa lateret aquis.  
 Tartareis potius fuit haec damnanda tenebris,  
 Quam celso Augusti prostituenda lare.  
 Longe alio pingit Germania sacra colore  
 Angelicos vultus, pectora digna Deo.  
 Cedite luminibus MOSHEMI, cedite palmam  
 MILLERI tabulis, turpia monstra piis.  
 Cœlestis sponsi vincentia lumina solem  
 Illius et sponsæ pingit uterque decus.  
 ISTE quod occoepit DOCTOR, nunc perficit ejus  
 DISCIPULVS sollers, dignus honore pari.  
 Gratia Dia TUOS DOCTOR, fortunet honores,  
 Luceat existis gloria summa dei.  
 Angelicæ turmæ TEMET comitentur euntem.  
 Esto memor nostri, perpetuoque Vale.

Hanc tenerrimi amoris perpetuæque obser-  
 vantiae candidissimam telleram meritissimis  
 supremis honoribus summe maximeque re-  
 verendi Doctoris Theologæ, designati Pro-  
 fessoris Regiae Georgiæ Augustæ Collegii  
 nomine adjectit

**IOANNES GOTTOFREDVS TAVST**  
 Gymnasi Halensis Corrector.


78 L 1708




5b.

Hil. 100.







DE  
ORTHODOXIA  
CVM DOGMATICA, TVM ETHICA  
IVSTE INVICEM CONIVNGENDA  
DISSERTATIO IN AVGVRALIS THEOLOGICA  
QVAM  
AVSPICIIS DIVINIS  
ATQVE  
CONSENSV S. VEN. ORDINIS THEOLOGICI  
PRO  
SVMMIS IN THEOL. HONORIBVS  
RITE IMPETRANDIS  
A. D. XIV. SEPT. A. O. R. S. CLOCCCLXVI.  
PVBLICO ERVDITORVM VIRORVM EXAMINI  
PROPONIT  
M. IOANNES PETRVS MILLER  
S. S. THEOLOGIAE IN REGIA GOETTINGENSI ACADEMIA  
P. P. O. DESIGNATVS



HALLAE MAGDEBURGICAE  
FORMIS SVIS EXSCRIPTIS IOAN. IUST. GEBAYER.